CONSTITVTIONES
SYNODALES MARSICANAE

Æditæ, ac promulgatæ

AB ILL.MO, ET REVER.MO D.

D. ASCANIO DE GASPERIS
MARSORVM EPISCOPO

Diebus vigesima prima, & secunda Mensis Aprilis Anni 1653. Piscinæ.



R O M AE,

Ex Typographia Francisci Monetæ. MDCLIV.

Superiorum permissu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Pal. Apost. Mag.

A. Episc. Verul. Vicesg.

****

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost. Socius, Ord. Prædicatorum.

EDICTVM
INDICTIONIS DIAECESANAE
SYNODI MARSICANÆ

ASCANIVS DE GASPERIS
Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia
Epiſcopus Marſorum.

ADM. RR. DD. ARCHIDIACONO, ET CANONICIS noſtræ Cathedralis, necnon vniuerſo Clero totius Marſicanæ Diæceſis ſalutem in Domino ſempiternam.



CONGRVVM proculdubio eſt, & Eternæ Dei ſapientiæ digniſſimum, vt quædam ignota mortalibus, & Angelicis miranda ſpiritibus pronidè diſponat, vt per hoc rationalis natura Maieſtatem ſuam Diuinam intelligentias ſapientia ſua præcellere vniuerſas confiteri compellatur, quoniam inaceſſibilem lucem illius nemo (niſi admiſsus) valet attingere. Diſpoſuit inter alia mirabilia eius vis Amoris, eiuſque Diuinæ pietatis abundantia, vt cuius diſciplinæ veſtigia à Sanctiſſimis olim Patribus præſſa non leuiter; ſed ad ſempiternam rei Chriſtianæ benè gerendæ rationem fixa, vix in tantis morum erroribus vlla vſquam apparebant, ea quaſi ex tenebris in lucem ſint reuocata grauiſſimis, diuiniſque Sacroſancti Tridentini Concilij Sanctionibus, quibus cum omnes ſanè obtemperare oportet, tum eos in primis, quos noſtræ vitæ Auctor, & æternæ ſalutis Magiſter Epiſcopos, & Paſtores gregis (quem immaculati ſanguinis effuſione in Ara Crucis redemit eſſe deſtinauit.) Quos cum ipſe Paſtores dici, & eſſe voluerit, eorum tam grauis, atque adeò Sancta ſollicitudo eſſe debet, vt in ijs, quæ ad caſtiſſimum Dei cultum, ad Eccleſię auctoritatem, atque dignitatem, ad Vineæ Dominicæ culturam

non conſeruandam ſolum, ſed augendam etiam pertinent, non voluntas, non diligentia, non pietas illorum denique vllo loco deſideretur. Epiſcopis animarum curam Summus ille Paſtor è ſinu Patris ad terrã miſſus propoſuit, vt omni ſollicitudine oues eorum fidei commiſſas à terrenis rebus ad Cæleſtes ab humanis ad Diuinas, à caducis ad æternas reuocare ſtudeant, præcipuè verò, quæcumque ad conformandam Cleri diſciplinam, & Popularium morum emendationem ſpectant, & omnia diligenter, accurateq. videant, ne de illis obijci vnquam poſſit, quod Deus æmulator, & Dominus vltionum dixit *Speculatores cæci*, & alibi in Euangelio ſubiunxit, *Cæci ſunt, & duces cæcorum*. Idcircò Paſtoris vigilantia, cuius miniſterio Spiritus ſanctus in Ciuitate vtitur, cui ille præeſt ſpectare in primis debet ad eam accomodatam paſcendi rationem, quæ in augendo ſpiritu poſita ad Cæleſtes Montes, & ad Diuina tabernacula gregem compellit, de quo per Micheam diuinitùs admonetur his verbis. *Accedite ad Montes æternos*.

Quo in paſcendi genere quoniam præter cætera multum valet Conciliarium rerum Sancta, & Vtilis Tractatio: Nos eo Paſtoralis officij ſpiritu excitati, cùm vniuerſæ huius noſtræ Diæceſis viſitationem expleuerimus, Diæceſanæ noſtræ Synodi, (quę ex ſacrorum Canonum iure, & Concilij Tridentini Decreto cõuocanda eſt) Indictionem, celebrationemq. diutiùs à nobis differri non oportere cenſuimus; nedum, vt Eccleſiaſticam reſtituamus diſciplinam priſtinam quaſi collapſam, ſed vt videamus ſi quæ alia ſint, quæ ſub dolo operario Sathanæ morum corruptelis inueterata, vel nuper prauè introducta, vt reprimatur peruerſorum duritieſ, & per emendationem impetrentur de perpetratis flagitijs pij miſerationis effectus.

Itaque his noſtris litteris ipſam Synodum ad diem vigeſimam primam menſis Aprilis proximè ſequentis (Deo fauente) celebrandam indicimus, ac denunciamus. Quamobrem omnibus, & ſingulis Capitulis, Abbatibus, Canonicis, Archipresbyteris, Præpoſitis, Rectoribus, Parochis, Capellanis, & reliquis Clericis tam in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus conſtitutis, tam Beneficia, Altaria, & Capellas obtinentibus, quàm non obtinentibus, omnibuſq. alijs quocumque titulo inſignitis, qui de iure, aut conſuetudine huic Diæceſanæ Synodo intereſſe tenentur præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, Nobis ſolummodo reſerua-

ta

ta mandamus, vt omnes decenti tonsura habitu talari cum Superpelliceis mundis, & Biretis compareant in hac Ciuitate, & Cathedrali nostra Ecclesia S. Mariæ Gratiarum die Dominico vigesima supradicti mensis Aprilis, & à principio vsque ad finem intersint. Qui verò legitimo impedimento (à nobis tantum cognoscendo) interesse minimè poterunt, quinque dies ante præscriptum tempus incipiendi Synodum Nobis innotescendum curabunt, sub poena ducatorum decem locis pijs nostro arbitrio applicandorum, si secùs fecerint.

Et quia hominum vires deficiunt, & absque speciali Diuini Spiritus munimine in labem diffluũt contagiosã, ad hoc, vt opus tam consonum Diuinæ pietati, ea qua speramus optima prosecutione perficiatur; insupèr præcipimus omnibus Abbatibus, Archipresbyteris, Parrochis, & Curatis huius nostrę Diæcesis Marsicanæ, vt qualibet feria quinta post præsentis Indictionis receptionem sollemniter (vbi commodè fieri poterit, si minus ordinariè) decantare faciant Missam de Spiritu Sancto, & singulis alijs diebus in Missis Conuentualibus, seu Maioribus recitent Collectam de eodem sancto Spiritu, cum alia de Beatissima Virgine, ad hoc, vt suum præstare dignentur auxilium pro fælici harum Constitutionum Synodalium euentu, de quo Regulares, cæterosq. huius nostræ Diæcesis exemptos benignè rogamus, charitatiuèque hortamur in Domino. Et ne de præmissis omnibus ignorantiæ ratio à quoquam abduci possit, & valeat, volumus, vt præsentes manu nostra subscriptæ, ac nostro solito sigillo munitæ, postquam inter Missarum sollemnia publicatæ fuerint, ad valuas omnium Ecclesiarum, tam Collegiataru m, quàm Parrochialium, & Ruralium Curatarum affigantur, vel earum copiæ sub poenis nostro arbitrio; Quæ affixio illius sit roboris, ac vigoris, ac si cuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Piscinæ ex Episcopali nostro Palatio hac die prima Ianuarij 1653.

Ascanius Episcopus Marsorum.

ASCA-

ASCANIVS DE GASPERIS
Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Marsorum.



VT auferantur lites, & contentiones, quæ forsan oriri possent inter assistentes, & interuenientes nostræ Synodo circa præcedentias, tum incedendi, sedendi, standi, tum alios actus in ea peragendi; Decernimus itaque, si cui fortè contigerit in hac Synodo nostra Diæcesana suo loco non sedere, aut incedere, aliudue quidpiam agere, gerereue, id propterea nemini ius acquirere, acquisitumue esse, neque de cuiusquam iure, aut possessione quidquam detrahi, sed omnia in eo ipso statu permanere, in quo antequam hæc Diæcesana Synodus haberetur esse reperiebantur; Præcipimus itaque, ac strictè mandamus omnibus, & quibuscumque, cuiusuis gradus, & conditionis Ecclesiasticæ, ne quis dissentire, altercari audeat, *sed confusè*, prout decet permaneant, sub pœna scutorum vigintiquinque locis pijs &c. & alijs arbitrio.

Omnibus præterea, & singulis, qui ad hanc Synodum nostram Diæcesanam erunt vocati iubemus, ne ab hac Ciuitate discedant, donec de more fuerit absoluta, & hoc nisi de nostra licentia, sed actionibus Synodalibus, donec opus fuerit omnes interesse teneantur, sub pœna scutorum decem locis pijs &c.

Mandamus tandem, vt præsentes Ordinationes, ac Constitutiones in valuis Cathedralis Ecclesiæ sint affigendæ, & sic affixæ, ac si singulis, sigillatim essent intimatæ eas vigoris esse volumus, & mandamus. Datum Piscinæ ex nostro Episcopali Palatio hac die 21. Mensis Aprilis 1653.

Ascanius Episcopus Marsornm.

Meliorius Cancellarius.


In Nomine Sanctiss. & Indiuiduæ Trinitatis

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI

incipiunt Constitutiones Synodales Marsicanæ.

TITVLVS I.

De Orthodoxa Fide Cattolica.



ACCEDENTEM ad Deum credere oportet iuxta Apostolicum illud præconium, nam Fides Christianæ veritatis fundamentum existit, qua cessante Altissimo placere impossibile omnino censetur. Virtutes etenim precellit vniuersas cùm omnia, quæ Christiana Fides credit ex eo credat, quia à prima veritate per reuelationes emanatâ comprehendat, ideo eodem habitu fidei a omniareuelata credimus, hoc est eodẽ habitu credimus Deum Trinum esse,atq.vnum,eumdemq. incarnatum. Qui fallere,nec falli cùm non possit,per hoc non potest Fidei Christianæ subesse falsum. Ea propter circà ipsiusmet Fidei sustentationem in hac nostra Diæcesi statuimus primò. Vt omnes de Canonicatibus, dignitatibusq. in Cathedrali Ecclesia, alijque de Beneficijs Curatis animarum curam habentibus prouisi ad minus infra duos menses supradictę Fidei professionem emittere in manibus Nostris teneantur, & debeant, iuxta b Sacrosancti Concilij Tridentini dispositionem, & Pij Papæ IV. Bullam, per quam debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam iure spondeant. Quod etiam à Theologis, ludi Magistris, alijsque publicis Lectoribus, vel Magisterij munus quouis modo exercentibus seruandum præcipimus.

Laicis quibuscumque inhibentes sub excommunicationis pęna, ne de eadem Fide Catthołica disputationes publicas, vel priuatas habeant. Similiter Sacræ Theologiæ Conclusiones, siue Theoremata, aut axiomata quæcumque minimè Typis mandentur, absque nostra, vel nostri Generalis Vicarij approbatione

a Hen. in män Theolog.sup. 3 sentent. cap. 5. §. 1.

b Conc. Trid. sess. 34. cap. 12. de ref. Pius Papa IV. an. 1654 in bull. incipit iniunctum.

c Conc. Trid. sess. 25. c. 2. in fin. Pius IV. loc cit. Côc. Later. sub Leo. X. sess. 7. can. 7.

d c. 2. § Inhibemus de heret. in 6. c. cum ex iniũcto eod. tit.

Innoc. IV. in ead. constitut. incip. nouerint indirect.

e Conc. Trid. sess. 4. in dec. de editione librorum in fin. Lopez in add. ad Diaz. in praxi crim. can. c. 111 litt. A.
f Cap. non liceat 26. q. 5. Extrauag. Ioan. 22. Incip. super illius specul. Tolet. in sum. lib. 4. c. 14. & 16. Trid. sup. cit. sess. 22. in dec. de sacrific. missæ in fin. Const. Sixti V. incip. Celi, & terræ de an. 1585. nonis Ianuarij. S. Carolus p. 2. de Cur. Coronator.
g Sixtus V. de ann. 1595. Vrban. VIII. de ann. 1633. 1. April.
h Die 18. Septembr. 1615. incip. Sanctiss. D. N.

batione in scriptis relata. Contrauenientes nostro punientur arbitrio.

Et vt pessima hæresis lues Dominicum Gregem Nobis concreditum non corrumpat, & inficiat, omnes Parochi, & Curati accuratè inuigilent imposterum; ne in eorum Parrochijs, siue Curis sit aliquis à recto Catholicæ Fidei tramite aberrans de tali errore suspectus. e Ecclesiasticas Personas, Potestates, Censuras, & loca sacra irridens, aut deludens: Nefaria quoque temeritate S. Scripturæ verba, vel sententias ad iocum assentationem, contumeliam, superstitionem, impietatem, aut ad quosuis profanos sensus, siue vsus abutens. f Item incantationes, maleficia, sortilegia, aruspicationes, somniorum interpretationes, auspiciorum obseruationes, Sacramenta impediẽs vel similia exercens. Si quis verò (quod absit) suadente tenebrarum principe in aliquo ex supradictis deliquerit, volumus excommunicationis sententia irretiri Nobis reseruata, statimque Nobis, vel nostro Vicario Generali denunciari, vt tamquam pecus morbida, & membrum putre succidatur, ne alios in huiusmodi contagiosam labem inducat. g Astrologicam artem, vel diuinatoriam profitentes, sciant se pœnis in Bullis Sixti V. & Vrbani VIII. emanatis subiacere. h Censuris quoque promulgatis à Sanctissimis Clemente VIII. & Gregorio XV. introducentur, qui apud se libros prohibitos absque speciali licentia retinuerint, legerint, vel alijs legendos præbuerint.

TITVLVS III.

De Doctrina Christiana.

SAlubre institutum erudiendi pueros Doctrinæ Christianæ primordijs (quod sine graui peccamine negligi minimè potest) labefactum in hac nostra Diœcesi prospicientes cum ingẽti animi nostri dolore, animarumque pernicie; Pastoralis sollicitudinis esse censuimus grauiori stimulo animarum Curatores coerceri, ad hoc, vt esurientibus paruulis tam salutare pabulum munificentissimè præbeatur, ne conqueratur de nostra incuria Dominus per Prophetam Vaticinantem, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Vnde præsenti decreto nostram exonerantes conscientiam strictè præcipimus, vt omnes

Parrochi, animarumque curam habentes, nobis subiecti futuris temporibus singulis Dominicis diebus, nec non festiuis primæ, & secundæ Clasśis, ad Campanæ signum hora competenti post Meridiem pueros in eorum Ecclesijs conuocandos curent; [b] ibique pietate, modestia, & silentio præambulis, in supradictis Doctrinæ Christianæ rudimentis profitendos maiori conatu studeant. Quod si Parrochi, & Rectores prædicti in hoc defecisse constiterit, supremam Dei vultionem primò super ipsos protestantes, insuper nostro arbitrio absque respectu puniēdos illis innotescat. [c] Ad quod munus subeundum ludi Magistros, etiam teneri iuxta prouidam Sac. Lateranē. Concilij dispositionem intelligimus. Per quam sicut Clericis Ecclesiastico seruitio adscriptis præcipitur tàm benigno muneri in vnaquaque Ecclesia Curatis, & Parrochis auxilium præstandi, ità de eodem à nobis onerantur sub pœnis contumacibus congruentibus.

[a] Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. in fin.

[b] Cap. vt quisque, de vita, & honest. Cleric.

[c] Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. Leo X. in refor. Cur. Rom. ex Conc. Lateran.

TITVLVS III.

De Concionatoribus.

VErbi Dei sacram prædicationem precipuum esse munus illorum, [a] qui in Episcopali Sede collocantur; Apostoli (in quorum locum Episcopi successerunt,) satis aperiendum demonstrarunt. Quam ob rem Nos auctoritatem Sacrosancti Tridentini Concilij, & Veterum Patrum secuti, dum personaliter per totam nostram Diæcesim illud attingere non possimus, [b] Concionatores, qui illud euangelizzent, acceptabilibus, ac saluberrimis temporibus Aduentus, & Quadragesimæ congruè deputare solemus. [c] His verò qui Prædicationis officio fungentur hanc viam, & rationem ineundam proponimus. Vt nempè Sacram Scripturam interpretentur eo sensu, quem Cattholica Ecclesia, & Sanctorum auctoritas comprobauit; Nè quidquam ab Ecclesia, aut à Doctoribus Ecclesiæ probatis alienum proferant. Non Historias ex Apogryphis Scriptoribus Populo narrent. Non ineptas, & ridiculas fabulas recenseant, neuè superuacanea, & paruum fructuosa. Apud imperitam multitudinem non Hæreticorum opiniones, & argumenta deferant. In repræhendendis vitijs ità se gerant,

[a] Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. de r for.

[b] Conc. Lateran. sub Inn III Cap. 10. c. inter cetera de offi. ord. Cap. Episcop. 3. 88. d.

[c] S. Carolus de offi. Præd. c. 16.

vt pietatis, & charitatis studio eos adductos non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant; in prauas etiam consuetudines inuehantur. Ita afficere studeant Auditores, vt sua peccata dolenter defleant, quos interdum propositis supplicijs æternis à flagitijs, & facinoribus deterreant; interdum commemoratis Cœlestis vitæ præmijs ad virtutes, in primis ad amorem Dei, & proximi accendant. Decreta sacrosancti Concilij Tridentini præcipuè quæ ad mores, & disciplinam restituendam pertinent, & has nostras Constitutiones Synodales studiosiùs inculcent. Populum sæpissimè ex Apostoli sententia moneant, vt obsecrationes, cum orationibus pro omnibus faciant, maximè pro hijs qui peruigilant, quasi rationem pro eorum animabus redditurі, vt quietam tranquillamquè vitam gerant in omni pietate, & charitate.

Indulgentias Populo minimè publicent, & neminem paupertatis nomine in Concionibus commendent, nisi de nostro consensu, vel nostri Vicarij Generalis.

d Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. de ref. & sess. 24. cap. 4. de refor.

d Conciones non habeant Regulares, etiam in Ecclesijs proprijs suorum ordinum, quacumque occasione, vel prætextu, nobis, aut nostro Vicario inconsultis. Officium verò prædicationis interdicimus hijs, qui suorum Superiorum Ordinum, si Regulares; si autem seculares sui ordinarij approbationem de vita, moribus, doctrinæque sufficientia secum non detulerint, & anteà nostram benedictionem non receperint. Et quibus tempore Prædicationis audiendi Confessiones facultatem concesserimus, dicto peracto tempore ab illis omninò se abstineant, neque de Censuris, & casibus nobis reseruatis pœnitentes absoluere præsumant, nisi de illis priùs licentiam impetrauerint. Si quis verò temerè contrarium attentauerit; suspensionis notam ab eo officio ipso facto incurrat.

e S. Carol. de offi. præd. cat.

e Dum sacra huiusmodi Euangelij promulgatio in quibusuis Ecclesijs habebitur tàm tempore Aduentus, quàm Quadragesimæ, & per annum si contigerit, neque Missæ, neque Horæ Canonicæ, clara, aut submissa voce in illis recitentur, aut decantentur. f Quippè ad tollendas publicas Collocutiones, & Choreas in Plateis, & locis Ciuitatis, vel Oppidorum, tempore Concionũ omnes Apotecas claudi ortamur in Domino.

f Conc. Trid. sess. 5. cap. 4. ibi adiunc c. 52. Synod. Floren. de præd. cat.

Omnes deniquè velociter ad audiendum Dei Verbum confluant, ex quo Spiritus Sancti puritate repleantur, & gratia.

TITVLVS IV.

De Fæstorum dierum veneratione.

INter omnia maximam diligentiam, ac studium ponere debemus, vt dies fæsti piè ab omnibus, sanctèque obseruentur; cùm hij potissimum ad celebrandas Dei, Sanctorumque laudes salubriter instituti sint; hæc enim sunt morum corruptelæ, his deprauatus vsus ab omni diuina, humanaque lege alienus, vt Deo dicati dies, & Sanctis, spiritualium rerum officijs consecrati; Spiritus sancti doctrina instituti, tùm ad Diuina recolenda beneficia, tùm ad honores debitos Sanctis tribuendos ad eorum vitæ imitationem excitandam, non modò (vt oportet) sanctè colantur; sed quod grauissimum est, nefariè in hac nostra diæcesi violentur operibus, rerumq; actionibus ab eorum cultu, & Christianæ pietatis studio diuersis. Nè igitur quisquam hisce diebus ad Diuinam offensionẽ, animæque suæ perniciem abutatur, & rationabiliter Dei nomine Propheta memoret. *Gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ.* Vndè idem Dominus iurè respondeat Proijciam in faciem vestram stercus solemnitatum vestrarum, quas anteà etiam detestabatur per Euangelicum præconem. *Iniqui sunt cætus vestri, Kalendas vestras, & fæstiuitates vestras odiuit anima mea*, præsenti nostro Decreto statuimus, & prohibemus, [a] nè diebus fæstiuis quid venditioni, aut æmptioni exponatur præter quod ad illius diei victum, vel ad ægrotum curationem necessarium erit, [b] & ideò officinæ omninò, aut ex aliqua parte apertæ non habeantur. — a Prou. 1. — b Ibid.

Non fiant Nundinæ, nisi post Missam solemnem, [c] & Mercatus, qui fæsto die contigerint, vel fieri consueuerunt, in antecedentem, vel sequentem diem, qui fæstus non sit transferantur. — c Congregatio Episc. Aug. 1592.

[d] Comediæ, Ludi Scænici, vel Theatrales minimè talibus diebus agantur, sicuti nec Circumforanei, & id generis Nobulones admittantur, vt quidquam ab eis vendatur, etiam sub medicamenti prætextu absque nostra, vel nostri Vicarij Generalis licentia, aut foraneorum, & tunc post meridiem pro hac vltima tantùm ratione, & absque cantu, & lusibus. — d Prou. 3.

 Inter-

Interdicimus similiter nè Saltationes, Tripudia, & Choreæ ducantur saltem horis, quibus diuina celebrantur Officia.

Contractus vlli cuiusuis sint generis, aut vllæ rerum executiones non fiant, nisi cum iure nominatim permissum est.

a Cap. licet, & cap. conquestus de Ferijs. Arm. in Sum. vers. festum n. 4. 17. 14. & 15. Arm. in Summa vers. fer æ num. 13. Cap. placuit a 15 quæst. 8. f Cap. pronunciandum. Conc. Lugdunen. cap. 4.

Vnusquisque iuxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præceptum, fæstiuis diebus ab operibus seruilibus quibuscumque se abstineat; qui secus fecerit, pœnam incurret carolenorum decem, pro qualibet vice locis pijs applicandorum, & pro quinta parte executoribus. Pro officinis verò apertis, rebusque venditis, si Filius, Famulus, vel Minister deliquerint, Pater, Dominus, & Artifex pœnam soluent supradictam.

Et vt omnis ignorantiæ prætextus excludatur, Parrochi inter Missarum solemnia, fæsta, ac ieiunia in sequentem hæbdomadam occurrentia Populo Dominicis diebus annuncient, iuxtà dispositionem Kalendarij Vrbani Papæ VIII. fæl. rec. declarantis, & exprimentis, quæ de Præcepto obseruari debeant. A quibus fæstum Principalioris Patroni huius Ciuitatis, & cuiuscumque Terræ, Oppidi, & Pagi huius nostræ Diæcesi non excludimus; Quoad obseruantiam verò reliquorum dierum, quos hucusque hæc nostra Ciuitas, & Diæcesis, siuè ex præcepto, siuè ex consuetudine, vel ex deuotione tamquam fæstiuos celebrarunt, nequaquam de præcepto ipsos teneri delaramus; prout in supradicta Constitutione manifestè apparet.

TITVLVS V.

De Sacramentis in Genere.

QVò maior, & vberior est Sacramentorum fructus, eò diligentiùs, & intima animi pietate, ac externo cultu, summaque veneratione tractanda sunt, atque percipienda; nefas cum sit munda ab immundis tractari, & ab indignis ministrari sancta. Et quoniam interiora animi ornamenta exterioribus comprobantur, ideò in Sacramentorum honorem (præter ea, quæ ad hanc salubrem rationem Sacra Tridentina Synodus sanciuit) nonnulla etiam ad tollenda incommoda, & abusus, quos in hac nostra Diæcesi, hominum vel culpa, vel negligentia in Sacramentorum administrationem inuheantur statuenda decreuimus.

B Non

Non ignorent igitur Parrochi omnes, quod omnia Sacramenta (cum sint signa sensibilia) determinata verba requirunt, vel aliqua signa protestatiua, quæ fuerunt simpliciter necessaria ex Dei Institutione, qui aliter poterat reparare peccatum, ex quo deduci potest antè peccatum non fuisse Sacramenta necessaria; post lapsum verò tàm in lege naturæ, quàm scriptæ quædam visibilia signa institui oportuisse, quibus hora Fidem protestaretur suam. Et ista signa (vt Sacramenta) causæ instrumentales sunt gratiæ, licèt causa principalis sit Deus.

Sciendum quoque est, in quolibet Sacramento rectè conficiendo, Materiam, Formam, & Intentionem requiri, quæ intentio ad Sacramenti perfectionem necessaria censetur, quam in ipso ministrationis actu habeat quisque actualem, virtualem ad minus.

Pro singulorum Sacramentorum vsu Parrochi proprias, & destinatas præparent materias, quæ mundæ sint, nitidæ, & ex optimis, quæ haberi possint. Inter ea studeant propriam vitam, moresque irrepræhensibiles habere, & Conscientiam quocumque læthalis culpæ contagio saltem per contritionem (si Confessarius deficiat emendatam habere procurent.

Caueant, nè in Sacramentorum administratione præscriptas formas excedant, vel immutent, sed omninò, quæ in Rituali Romano, & nouo Cęremoniali adscribuntur seruent.

Sacerdos ministrans, nedum talari veste, verùm superpelliceo mundo, & stola humeris super imposita indutus sit, saltem in Ecclesia.

Sacramenta Baptismatis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Matrimonij uullibi, nisi in Ecclesia ministrentur, præterquam in casu vrgentissimæ causæ sub grauissimis pęnis nostro arbitrio. Si quis verò Parrochus, vel Curatus Sacramenta petentes repellere ausus fuerit, vel in aliud tempus transferre, aut reijcere cum statim ea ministrare possit, seuerè à nobis punietur.

Et cùm Sacramenta Ecclesiæ non solùm sinè simoniæ labe, verùm sinè auaritiæ suspicione præbenda sint, aduertant omnes, nè in eorum administratione quidquam exigant, aut etiã verbis, vel signis directè, vel indirectè petant; si contra fecerint, & pęnis iure communi statutis, aut alijs arbitrarijs mulctari volumus, prout qnalitas criminis postularet. Confessarij præcipuè abstineant à perceptione cuiuscumque muneris.

TITV-

TITVLVS VI.

De Sacramento Baptismatis.

INter Sacramenta nouæ legis primum locum Baptismus obtinet, ideòque prior est, licet non perfectior, cùm inter omnia præstantiorem locum Eucharestiæ Sacramentum obtineat. Qui est ablutio corporis exterior facta sub certa verborum forma, cuius materia aqua naturalis præscribitur; Forma verò (Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,) non admittentes quod ex dispensatione aliquando in nomine Christi valuerit.

Decernimus itaque pro huius Sacramenti administratione, quod nemini intrà domesticos parietes baptizare liceat, sed statìm vt in lucem prodijt infans, antè nonum diem in Ecclesia deferendus erit, sacro regenerationis lauacro abluendus; quod si Parentes neglexerint excommunicationis Sententiam nobis reseruatam subibunt. Permittimus tamen, si periculum aderit, vt in priuatis ædibus à Sacerdote baptizetur, vel si is absens fuerit ab altero sacris initiato, vel si non aderit à laicis mari primùm, demùm fæminæ, qui omnes rectè veram Baptismi formam superiùs adductam nouerint. Obstetrices autem instruantur à Parrocho, & interrogentur à baptizantibus de eadem forma.

Attendant Parrochi diligenter, nè Sacrum Chrysma in Baptismo à laicis attingatur, & ob id habeant reseruata linteola; quibus in Baptizatis sacri Chrysmatis vnctio abstergatur, quæ minimè tangenda tradent his, quos Parentes baptizati sibi Cōpatres, vel Commatres fieri cupiunt.

Fons Baptismalis sit in vnaquaque Parrochiali, vel curata Ecclesia; qui à marmore, aut è solo lapide constet: Habeat operimentum, vel ciborium ad sacra Olea tutò, decenterque conseruanda in eo ipso fonte accommodatum. Conopeo etiam è tela rubea, vel cerulea saltem opertum sit. In Cappella, siuè pariete proximo Sancti Ioannis Imago Christum Dominum baptizantis depingatur.

Compatres, aut Matrinæ Dominicam Otationem, salutationem Angelicam, Apostolicæ Fidei Symbolum, & Decalogi

Præcepta nescientes non admittantur, quia Parrocho de spirituali affinitate cum infante, eiusque Parentibus contracta admonendi erunt.

Statuimus huius muneris exercitium esse interdictum Regularibus, Clericisque secularibus nobis inconsultis.

Parrochus, ad quem primò infans delatus erit baptizandus inquirat, an suæ Parrochiæ sit, quem si alienæ esse norit, illum nisi instante necessitate non baptizet, sed ad proprium à quo baptizetur deferri iubeat. Vbi verò in hac Diæcesi fontes Baptismales extrà Parrochialem situantur Ecclesiam, infrà duorum mensium spacium intrà eandem asportentur sub pęna nobis visa.

Nomina Sanctorum, & Sanctarum, quæ extrà Ecclesiastica Kalendaria habentur, infantibus non imponantur.

Conseruent Parrochi librum, in quo distinctè baptizatorum nomina, Parentum, Compatris, Commatris, diem, mensem, & annum, iuxtà formulam noui Ritualis Romani adnotabūt. Circà Patrinos non recipiantur, nisi vnus masculus, & vna fœmina simul, vt in dicto Rituali.

TITVLVS VII.

De Confirmationis Sacramento.

AD hoc vt paruuli in timore accedentes ad seruitutem Dei, eorum animas tentationibus expositas præparent, sacro Confirmationis Sacramento muniendos sancta mādauit Ecclesia, per quod Christi fidelis se ipsius militem confitetur, ob specialem Spiritus sancti gratiam, mirè suo cordi infusam, & auctam, & per potentissima præsidia, quibus aduersus diabolicas contentiones munitur. Studeant idcirò Parrochi, vt debitam ergà hoc Sacramentum excitent venerationē, ad hoc vt ea qua decet reuerentia recipiatur. Minori septennio hoc Sacramentum nemini præbere statuimus, & qui confirmandi sunt talis confirmationis vim, & virtutem optimē dignoscent. Elaborent similiter Parrochi, vt qui adulta ætate confirmandi sunt. Primò de peccatis confiteantur, & ieiuni illud suscipiāt cum ministratur mane.

Quæ de Compatribus, Commatribus, & Parentibus superius

nius in Sacramētō Baptiſmatis ſanciuimus, etiam in huius manifeſtatio ſeruari mandamus, addentes, quod vnus tantùm Patrinus, vel Matrina adhiberi debeat: Et vt vnuſquiſque ſui ſequatur conditionem ſexus; præcipimus maſculos non ſuſcipere fæminas; aut fæminas maſculos, dùm ad hoc Sacramentum accedant.

Conſeruent Curati librum, in quo omnia diligenter exarata appareant, quæ de Sacramento Baptiſmi apponi iuſſimus.

TITVLVS VIII.

De Euchariſtiæ Sacramento Sanctiſsimo.

EVchariſtiæ Sacramentum (quod pluribus nominibus propter ſuam excellentiam nuncupatur) vnum eſt veritate integritatis, in quo verus Deus, & homo Chriſtus, verè realiter, ſubſtantialiterque continetur. Quod cùm per modum refectionis detur, cibo, & potu, nempè, carne, & ſanguine Chriſti conſtare, ac perpetuæ noſtræ felicitatis certiſſimum pignus nobis relinqui, Catholica Fides teſtatur. Congruum igitur eſt, vt ordinemus, quàm maxima fide, honore, obſequio, reuerentia, & veneratione in maiori, vel in alio ad hoc deſtinato Eccleſiæ Parrochialis, vel cuiuſlibet Collegiatæ Altare in argentea Pixide intùs deaurata, intrà Tabernaculum incuratum deuotè ſub argentea Claui, vel deaurata aſſeruari; antè quod die, noctuque ſemper lampas colluceat ſub pœnis noſtro arbitrio. Pro communicandis verò infirmis, altera ſimilis Pixis intrà idem Tabernaculum recludatur, quod interiùs panno holoſerico ſit ornatum, Corporale ſubſtratum, ibidemque ſupradictæ Pixides cuſtodiantur. Octauo quoque quolibet die particulæ conſecratæ renouentur.

Cùm Sanctiſſima Euchariſtia ad ægrotos deferenda erit, induant Parrochi ſuperpelliceum, Stolam candidam, & Pluuiale; Velum quoque ſuperhumerale amplum geſtent, luminibus, atque intortitijs plurimis comitati, cui Clericus præcedat Cotta, Amictus, Tintinnabulum pulſans. Si verò extra

Ciuitatem, & Oppida per loca deserta, & cœnosa Sacramentum deferri contigerit; tunc apparatu prædicto ommisso, Parrochus superpelliceo, & stola indutus, præcedentibus quatuor tantùm hominibus, vnicam tantùm in vasculo ad id assumpto particulam ponat; deindè in sericeâ bursa, holosericos pariter habentem funiculos, quibus deferentis collo appendi possit cautè recondatur. Communicato verò ægroto, sinè aliqua ceremonia deposita Stola, extintisque luminaribus, subito ad Ecclesiam reuertatur.

Cùm autem publicè Sacramentum istud exponendum erit; siuè vt Religiosa Quadraginta Horarum instituta sanctissimè, & cùm salubri animarum fructu recolantur, siuè pro aliqua imminente Ecclesiæ necessitate, aut pro gratiarum actionibus; omnis pia, & deuota ratio suadet; & vbi palàm proponetur, ad illius cultum, & venerationem splendidiori luminum apparatu, & maiori populi concursu celebretur. Ea propter decernimus ad eius ornatũ, vt quotiescumque exponi contigerit in Ecclesijs tâm Secularium, quàm Regulariũ, etiam pro Tertia Dominica singulorum Mensium, vbi fuerit consuetudo, dentur pridiè illius diei, & iterùm eo die paulò antè Campanarum signa, per quæ sciat Populus velociter se debere ad Sacramenti obsequia fluere. Cerei præterea in Altari accensi collucebunt decenti crassitudine, & longitudine ad minus duodecim, nec aliter fiet sub pœnis nostro arbitrio.

Nemo à sumptione Dominici corporis, & sanguinis Paschali tempore destituatur; Qui verò tali tempore non communicarint, Parrochus ad Nos, vel ad Nostrum Vicarium Generalem post Mensem ab Octaua Paschatis scripto deferat; quod tempus Paschale à Dominica Palmarum incipere, & ad Dominicam in Albis terminare declaramus. Poterit tamen quis de Parrochi consilio, iustaque de causa in aliud tempus illud transferre. Et nè huic decreto fraus incidat, statuimus, vt si quis ex necessitate, aut alia iusta causa à nobis comprobanda extrà suam Parrochiam sacrum Eucharisticum cibum sumpserit, Parrocho suo de eodem fidem faciat; sin minus in eum agatur, ac si non communicasset.

Et quia multi sacram Eucharistiam de manu Parrochi proprij recipere renuerunt, vel contemptionis, vel odij causa, vndè posteà varia insurrexere accidentia, ad tollendas occasiones istas volumus, & decernimus, vt si quis ab ipso Parrocho,

rocho, vel proprio Curato, aut de illius licentia alibi sacra Communione refectus fuerit, & à sua contumacia non resipuerit; post debitas monitiones transacto tempore superius præscripto denuncietur tamquam excommunicatus, nec illi suffragari quæat, quod extra Ecclesiam propriam Eucharistiam receperit.

Concubinarij publici, Blasphemi, Feneratores, ac huiusmodi facinorosi homines semel ad Pœnitentiam, & Communionem admissi, si postea in eodem peccatorum limo hærere contigerit, ampliùs ad sacram Communionem non recipiantur, nisi postea mores, & vitam emendasse Parrochis æquè notum fuerit.

Non admittantur ad hoc sacrum Conuiuium adolescentes, qui illud sumere primò voluerint, nisi à proprio Curato aliquot ante dies de capacitate, de vi, & virtute talis Sacramenti diligenter examinati fuerint, & instructi.

Omnes Clerici tàm in Sacris, quàm in Minoribus constituti, ad hoc vt a Laicis omninò differant, teneantur semel in Mense, vel ad summum qualibet Tertia Dominica cuiusque Mensis Sacro hoc pabulo refici sub grauissimis pęnis cōtrauenientibus. Omnes denique hortamur ad frequentem Communionem, præsertim Aduentus, & Quadragesimæ tēporibus, cùm illa sint inter alia nostræ salutis acceptabiliora, in quibus Cælestium donorum copiam nobis thesaurizzamus.

TITVLVS IX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

a Innocêtius X. in Epist. Past. de anno 1645.

ADmirabilis Clementiæ Deus, a quem pærennibus hominum noxis ad iram prouocatum dispari charitatis cōtentione prouocantem eos ad Pęnitentiam in dies magis experimur, eorumque agnoscens figmentum, quod tàm procliues ab ineunte ætate, facilesque reddit ad malum, vt post receptam in Baptismate iustificationem, de iterato lapsu surgere possent, munificentissimè Pęnitentiæ Sacramentum instituit, per quod eorumdem lutuosas operationes misereri compelleretur. Iure igitur merito grauissimum illius mini-

fterij munus idoneis, ac dignis folummodò Sacerdotibus cōmittendum fas eft; nè Miniftrorum ignorantia penitentes ad perditionem potiùs quàm ad falutem inducat. Quà propter ftatuimus, vt nullus præter Curatos, fiue Secularis, fiue Regularis Sacerdos ad facras peccatorum Confeffiones audiendas accedat, nifi priùs à noftro Vicario Generali, Examinatoribufque noftris synodalibus fuerit approbatus, facultatemque in fcriptis obtinuerit. Qui verò vfque ad præfentem diem hoc Sacramentum miniftrauere, teneantur infra Menfem poft huius Decreti promulgationem eorum facultates nobis præfentare, & non nifi præuio examine, & noua obtenta licentia facrofancti huius muneris minifterium profequantur, fub pena fufpenfionis ipfo facto incurrenda.

Omnes, & quafcumque facultates à Cafibus nobis referuatis hucufque abfoluendi conceffas reuocamus, & tollimus. Et nè quis ignoranter à Cafibus à quibus nequit abfoluere abfoluat. Mandamus, vt omnes Curati, & alij ad Confeffiones audiendas deputati, & ammiffi, nedùm in omnibus Confeffionalibus fedibus Bullam Cenæ Domini affixam habeant; verùm etiam Cafuum nobis referuatorum notam, quos infrafcriptos effe decernimus.

CASVS RESERVATI.

1 Homicidium voluntarium, ac in tali præftantes confilium, auxilium, & fauorem, nec non progenitorum percuffores.

2 Superftitions, fortilegia, Inuocatio Dæmonum expreffa, maleficia quæcumque, & in his abufus facrarum rerum.

3 Prouocatio abortus poft animatum fætus, etiam morte non fecuta.

4 Detentio Infantium in lecto ante expletum annum, eorumque fuffocatio.

5 Beftialitas, & Sodomia etiam cum fæminis, quoad mafculos tantùm.

6 Inceftus in primo, & fecundo gradu confanguinitatis, vel affinitatis quoad mafculos tantùm.

7 Blasphemia in Deum, Beatissimam Virginem, & Sanctos, quæ sit hæreticalis.
8 Copulatio Sponsorum ante Matrimonium in Ecclesia coram Parrocho contractum.

De quibus non possint absoluere Confessarij tàm seculares, quàm Regulares, sub quouis prætextu facultatum, indultorumque sibi, vel suo Ordini concessorum sub Excommunicationis pœna, à qua non possint nisi à nobis absolui.

Non sint immemores quoque pœnarum in Constitutione Gregorij XV. contra sollicitantes in Confessionibus emanatatum, cuius tenorem ad excludendam omnem ignorantiæ excusationem hic ponere non prætermisimus.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei Memoriam.

VNiuersi Dominici gregis curam quamquam immeriti Cælesti dispositione gerentes sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conseruetur immunis, multoque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ab hijs auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, nè quod Euangelica scripta nos admonent sale infatuato, non sit, in quo saliatur, & ad nihilum profit vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solùm inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet procul ab ijs arceatur, videlicèt, vt aliquis sacerdos ad sacras audiendas Confessiones deputatus, sacrosancto Pęnitentiæ Sacramento sollicitando Pęnitētes ad turpia abutatur; ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat; & ex Cælesti Medico Infernalis veneficus, ex Patre spirituali, proditor execrabilis Animarum reddatur. Idcircò nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur prouidendum duximus, aliàs siquidem à fel. rec. Pio Papa Quarto prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet.

PIVS Papa IV. Venerabili fratri Archiepiscopo Hispalensi in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Generali Inquisitori. Cùm sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diæcesibus curam animarum habentes, siue eam pro alijs exercentes, aut alias audiendis Confessionibus Pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi Confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Saluatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur; Mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dùm earum audiunt Confessiones alliciendo, & prouocando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando; & in manibus Diaboli tradendo in Diuinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem Christi fidelium scandalum non modicum. Nos in animum inducere nequentes, quod qui de Fide Catthòlica rectè sentiunt Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant; Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per se, vel vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœcesium de præmissis quomodolibet diffamatos tàm seculares, quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum Regulares cuiuscumque dignitatis status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tàm super præmissis, quàm super Fide Cattolica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxtà facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxtà excessuum suorũ qualitates, prout iuris fuerit punias, eos etiamsi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, secularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam

etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & Consuetudinibus, Priuilegijs quoque Indultis, & Litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis Clausulis, & Decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Aprilis 1561. Pontificatus nostri Anno secundo.

Igitur, vt litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obseruentur; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostri, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas litteras huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; illasque non solùm in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusuis Christiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus. Ac præterea nè in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari posit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tàm seculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis Priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis; siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi Confessiones Sacramentalis audiantur, seu ad Confessionem audienda electo simulātes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel procurare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones,

nes, siue tractatus habuerint in Officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè, vt infra puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omniũ, Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, & dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territorijs per has nostras litteras, etiam priuatiuè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei iuxta sacrorum Canonum formam, nec non Officij Inquisitionis, huiusmodi Constitutiones, Priuilegia, Consuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant; & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint; in eos pro criminum qualitate, & circumstantijs suspensionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & passiuæ si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad Triremes, & Carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ seculari puniendos tradãt. Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus; nè delictum tàm enorme, & Ecclesiæ Dei tàm perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi, & Curiæ seculari, vt præfertur Reum tradendum esse pronunciandi. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, ceterisque contrarijs quibuscumque. Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt præfertur tractantes Inquisitoribus, seu locorum ordinarijs prædictis; quod si hoc Officium pertransierint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandos Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt supra; ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores, illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem; vt præsentium transumptis, etiam impressis,

manu

manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadẽ prorsùs Fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque ædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad Valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ad Principis Apostolorum de Vrbe: ac in Acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri Anno Secundo.

S. Card. S. Susannæ.

QVod sancitum est in Constitutione Innocentij III. à sacro quoque Concilio Tridentino comprobatum, nempè, vt fideles semel in Anno sua peccata Sacerdoti approbbato confiteantur, inuiolatè seruetur ab omnibus. Eiusdem Pontificis Constitutionem in generali Concilio Lateranensi latam nos ad vsum reuocantes statuimus, & præcipimus, vt Medici adducti ad ægros in lectum iacentes, antequam illorum curam suscipiant, idoneo Confessori eorum peccata denuncianda planè admoneant.

In quantum possunt Confessarij à penitentijs pecuniarijs abstineant, si quas verò ad animarum salutem iniungendas iudicauerint, sibi nullo modo applicent, sed penitentis arbitrio in pios vsus applicandas relinquant. Confessionis verò intuitu nihil à pęnitentibus, etiam restitutionis faciendæ, vel Missarum celebrandarum sub prætextu directè, vel indirectè exigant, aut petant.

Et quia obligatio Sigilli Confessionis, nè dum de iure naturali, diuinoque censetur; vèrum, & Ecclesiastico, Ea propter Confessarij omnes ob nullam causam, etiamsi de vniuersæ Reipublicæ salute agatur, quæ in Confessione tàm mortalia, quàm venialia peccata audierint in perpetuùm sub Sigillo custodiant.

Extra Ecclesiam pęnitentium Confessiones, præsertim Mulierum præcisè prohibemus, sub pœnis nostro arbitrio, sub quibus etiam statuimus, vt Conubinarij publici, nisi dimissis Concubinis nõ absoluantur, & nisi antea sese per duos

Men-

Menses continuerint facta, non solùm thori, sed habitationis separatione reali.

Populum semel saltem in Mense instruant Parrochi, vt ad tantùm Sacramentum, (quo animarum salus ammissa restituitur, postquam peccati labe corrupta est) in humilitate cordis, eiusdemque animæ amaritudine debita cum reuerentia, & præparatione accedat, & ipsimet Sacerdoti sua peccata denudet, non expectata ipsius Confessarij interrogatione. Quod si Sacerdos aliqua in re cognouerit pœnitentem deficere, monendo, exhortando, & interrogando illum adiuuari præcipimus.

Omnes etiam monemus, vt Superpelliceis, & Stolis induti, Bireto cooperti seculares Confessiones audiant. Regulares verò eodem habitu vtantur, quem in Choro ad diuinas persoluendas Laudes adhibere consueti sunt, semper tamen cum stola.

TITVLVS X.

De Sacramento Ordinis.

Ad Ordines promouendi per Mensem antea nostram adeant præsentiam commissionem Inquisitionis recepturi, vt eorum nominibus, ac desiderijs in Ecclesia expositis de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, vita, moribus, scientia, & patrimonij Titulo ex dignorum relatione certam habeamus cognitionem. Afferant quoque Parrochi Fidem de Sacramentorum Baptismatis, & Confirmationis receptione, quæ fideliter, & collatiuè ad litteram extrhaatur de libris, ad hoc destinatis, habebunt etiam fidem ludi Magistri, & nobis iuramentum præstabunt, se non iudicij secularis fugiendi causa, sed Deo seruiendi hoc vitæ genus prælegisse.

[a] Conc. Trid sess. 25. de reform. cap. 8.

Prou. 4.

Expectent ab Altissimo liberorum progenitores vultione, si eorum natos, ac descendentes vi, metu, vel alia ratione inducant, vt Clericali militiæ se adscribant.

Regulares omnes [b] de eorum vita, moribus, & doctrinæ sufficientia testimoniales litteras præsentent, ac de alijs re-

[b] Cap. si quis, & cc. seq. 71. dist. c. Clericos 72. dist.

 quisi-

Conc. Trid. sop. cit.

quisitis, vt supra suorum Superiorum in cuiusuis Ordinis susceptione.

c Sac. Cong. epis. de anno 1649.

Clerici aduenæ, c & ignoti, maximè Sacerdotes non permittantur, Ordinum exercitium habere, de quibus se initiatos asserunt, neque in Ecclesijs Regularium, nisi eorum litteræ dimissoriales à Vicario nostro Generali, vel à Foraneis locorum recognitæ, & approbatæ fuerint.

d Crau. Cons. 19. & Cons. 136. Tob. scon. Cõsil. 39. Ripa in l. in quan. am, fl. ad leg. fal. Roian. cons. 70 vol. 4.

Ad tollendas aliquorum fraudes, d qui falsò se possidere exponunt patrimonia, & beneficia, quæ realiter non possident, vel si possident, minoris roboris, & pretij sunt, quam exposuerunt; vel illorum, qui simulatas donationes ad tempus sibi concedi operantur, ex quo postea fiat, quod illæ iterùm cum scandalo postulentur, volumus, vt qui tali pacto ad Ordines admissi fuerint ipso facto, ipsoque iure suspensionem ab Ordinibus, ad quos extiterint promoti incurrant; quod si quis contra hoc nostrum Decretum ministrare præsumpserit, declaramus iuxta communes sacrorum Canonum dispositiones irregularitate innodari à Summo tantùm Pontifice exoluenda. Qui verò tales donationes fecerint fictas, & collusorias ad hoc, vt propinqui, vel Amici sacris Ordinibus initientur, eo ipso excommunicationis notam subeant nobis reseruatam, aliasque nostro arbitrio pœnas.

e Cap. quando 24. d. st. c. cum in sacris. de elect. Conc. Trid. sess. 23. c. 2. de reform.

Quippè, vt omnibus supradicta innotescant, vltrà Testes, qui examinandi erunt, vt certissimis probationibus, & documentis nobis constare possit fundum, pensiones, beneficia, & alia huiusmodi bona; e insuper Parrochi inter Missarum solemnia bis diebus festiuis Populum alloquentur, vt supra.

Accedentes ad suscipiendos Ordines, litteras commendatitias non afferant, sub pœna reiectionis, sed vnusquisque propriæ virtutis experimentum præbeat.

TITVLVS XI.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Etsi in hac imbecilla Mundi peregrinatione ab omnibus fortiter sit pugnandum contra Auerni Rectorem, nec detur quiescendi tempus annuente patientissimo illo

Duce

Duce *Militia est vita hominis super terram*, in vltimo tamen conflictu viriliùs insistere, armaque sumere ad retundenda iniquissimi illius hostis tela, fraudesque euitandas nos Apostolus admonet, qui tunc maiori conatu circuit, quærens, quem deuoret. Quod benignè præuidens noster Saluator, vt eius redemptio vndiquè aspiceretur copiosa, copiosis quoque medicaminibus illam muniuit, & pro humanæ vitæ termino extremo, extremam, Sacramentalemque Vnctionẽ applicandam reliquit, cui gratiam contulit, mæstitiam fugandi, animæ dolorem exonerandi, fortitudinem tribuendi, peccatorumque reliquias abluendi, quæ homini largiter illius virtute condonantur.

Sint igitur Parrochi, & Curati in huius Sacramenti administratione vigilantissimi, quia etsi simpliciter ad salutem necessarium non censeatur; periclitari tamen absque illius auxilio potest anima non recipiens nouæ gratiæ munimen optimum, per quod in infernales versutias non illabatur.

[a] Non denegetur alicui infirmo (etsi febri non laboraret, sicuti nec stultis, aut delirio occupatis (dummodò irreuerentiæ non adsit periculum, neque pueris post septennium.

In eadem infirmitate semel tãtùm administretur. Si verò ob diuturnitatem morbi, diuarientur accidentia, poterit reiterari, & præcipuè periculo mortis imminente.[b]

Si infirmus sensibus omninò careat, cum virtutem huius Sacramenti dignoscere non possit, ommittatur illius administratio;[c] vel si contingens erit, aut dubia sensuum carentia, poterit conditionaliter ministrari dicendo. Si non es mortuus, per istam sanctissimam Vnctionem, & suam pijssimã misericordiam, &c.

[d] Excommunicationis sententia illaqueatis, publicis peccatoribus, & impenitentibus non conferatur, nisi priùs vera contritionis signa, & pœnitentiæ ostenderint, & tunc licet sacras Confessiones indicere, & sacro Eucharistico cibo refocillari, minimè potuerint, illis non denegetur.

Curatus hoc Sacramentum administraturus semper indutus sit Cotta Stola, & ante ipsum deferantur luminaria.

Ad memoriam reducimus Parrochis, & Curatis, quod Dominus noster Iesus Christus exemplificauit in vltimo sui confflictus agone, in quo cœpit pauere, & tedere, & mæstus esse, ostendens sanè nostræ humanitatis timorem, & in-

a Sil. V. vnctio num. 4. Tolet. lib. 7. cap. 2. Sot. in 4. dist. 25. art. 2. q. 2.
b Armill. n. 9. Conc. Trid. de extr. vnct. Cap. 3.
Gl. c. illud 95. d S. Thom. in 4. d. 23. q. 1. art. 3. Palud. dist. 23. quæst. 3. art. 1.
c Nauar. d. c. 22. num. 13. Victoria 222.
d S. Carol. Syn. 4. dec. 9

digentiam; Vndè monemus omnes Parrochos, nè in vltimo huius vitæ conflictu desistant, agonizzantibus succurrere, & auxiliari cum Littanijs, Psalmis, alijsque spiritualibus monitis, cum Diuina subsidia cumulatius tunc apponenda sint, & Infirmum non derelinquant quousque eius anima egressa de corpore fuerit; quod si neglexerint vltra strictissimam rationem Deo reddituram, absque respectu seuerè à nobis punientur arbitrarijs pœnis.

TITVLVS XII.

De Sacramento Matrimonij.

a Genesis 2. Conc. Trid. sess. 24. cap. 1.

Antequam, Parrochi Sacramentum Matrimonij, quod summa libertate Christus Dominus Noster exerceri voluit, vt postea indissolubiliter Sponsi, charitatiueque viuerent ad sacri Concilij Tridentini formulam in Ecclesia denuncient. Ab ipsis met Sponsis, an se denunciari velint, diligenter perquirant; siue ab eorum Progenitoribus; b Et quia ex longa mora Sponsam in domum viri traducendi contra Matrimonij bonum regimen grauissima oriri peccata perpendimus; illis opportunis remedijs occurrere volentes; Statuimus Curatorũ denunciationes tandiù differri, donec omniaque ad Matrimonij Sacramentum perficiendum requisita sunt, & necessariæ fuerint adimpleta; Interim accuratissimè caueat Parrochus ab omni consortio Sponsos arceri, quod si neglexerint pœnas luent nostro arbitrio. Hoc Sacramentum non in priuatis ædibus, sed tantùm in Ecclesijs celebrabitur nisi aliud nobis, vel nostro Vicario Generali expedire videbitur.

b Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de refor. Matrim. S. Carol. tit. de Sponsa. & Matrim. c. vlt. Idem cap. 6.

c Inno. III. in Con. Gen. Lateran. cap. 63.

Non c coniungant Parrochi sacro Matrimonio Aduenas, & Peregrinos nobis inconsultis, ad hoc vt priùs indagari possit se liberos esse, & alterius Matrimonij vinculo solutos, testesque examinentur iuxta interrogatoria à S Sac. Congr. Sanctæ, & Vniuersalis Inquisitionis transmissa, sub pœnis ab eadem Sacra Congregatione relaxatis inobedientibus, sub die 30. Augusti 1636. Datum Romæ;

TITV-

TITVLVS XIII.

De Officio Parrochi.

QVicunque Parrochialis Ecclesiæ præfectura gaudent, ante omnia præcipuè sibi oportere sciant in eorum Curis, & [a] Parrochijs residendum, & in earum ædibus inhabitandum, vbi commodè habitari potest, quod nostro reseruamus arbitrio atque iudicio eorum vita, eorumque mores ita religionis pudoris, innocentiæ, & pietatis sint exemplum, vt suis Parrochianis non solum, verum omnibus alijs de illis speciem præbeatur. Et cum proprium Pastoris sit oues sibi commissas agnoscere, quod sepissimè Summus ille Pastor de se testabatur dicens: *Oues meæ, vocem meam audiunt, & vitam æternam do eis*, Idcirco infra duorum mensium spacium [b] omnes Parrochi, & Curati sibi procurent quatuor libros, in quibus describant, & referant omnium sibi subiectorum nomina, cognomina, sexum, ætatem, statumque, ac distinctionem, quod vnus inseruiet ad supradicta adnotanda. In altero exarabunt Baptizandos, & sacro Confirmationis Sacramento munitos; In Tertio describentur ad Matrrmonium recepti; In Quarto verò referent iuxta nouum Rituale Romanum nomina ad alteram vitam euocatorum, pro vt alias mãdauimus Quique infra supradictum tempus non sic paruisse nobis Innotescendum curabunt, pœnam ducatorum quinque incurrent locis pijs nostro arbitrio applicandorum.

[a] Cap. final. de reser. in 6. Cõc. Trid. sess. 24. c. de refor. et c. 1.

[b] S. Carol. p. 2. tit. instructiones var. x.

[c] Pro eiusdem muneris executione singulis Dominicis diebus teneantur Aquam benedictam renouare; Populum in Ecclesia aspergere; Fæstos dies, & Ieiunia indicare, excommunicationes denunciare; Indulgentias publicare, Matrimonij contractus promulgare, & quod strictius illis iniungimus presenti decreto onerando eorum conscientiam, & imponendo etiam pœnam ducati vnius qualibet vice defecerint debeant singulis Dominicis diebus sacri Euangelij explicationem, vel Epistolæ talis diei Populo enarrare, & post lectionem dicti Euangelij promulgare.

[c] Conc. Trid. sess. 23. c. 14.

In [d] hac nostra Ciuitate non solum Curati, sed Canonici, & alij

[d] Conc. Trid. sess. 24. c. 8.

& alij de Clero conueniēt in posterum ad lectionem sacrorum Canonum à nostro Theologo, vel alio à nobis deputando exaranda.

Per Diæcesim verò sępissimè inter se conueniant Parochi, & de Casibus Conscientiæ præsertim difficultatibus ipsi in animarum cura occurrentibus differant.

Infirmos suæ Parrochiæ semper visitent, non solum illis necessaria Sacramenta ministrari, verum etiam alia spiritualia adiuuamina porrecturi, iuxta ægestatem, & necessitatem eorum. Teneantur insuper supradicti Parrochi, & Curati publicos, & scandalosos peccatores, blasphemos, Vsurarios, Concubinarios, à talibus vitijs extorquere per monitiones, & obsecrationes. Qui autem in huiusmodi peccatorum fęce perseuerantes erunt Nobis, vel nostro Vicario Generali denunciabunt, vt ad præscriptum Sac. Trid. Conc. procedatur, quod si ipsi Parrochi, & Rectores defecerint suspensiouis notam à diuinis incurrent.

Item è Diæcesi non discedant absque nostra licentia, sub pœna Scutorum trium; neque pernoctent extra locum Curæ saltem sine licentia in scriptis Vicarij foranei, sub eadem pœna.

TITVLVS XIV.

De Vita, & Honestate Clericorum.

a Conc. Trid. sess. 14. de ref. c. 6. & sess. 22. cap. 1.

Nihil in Ecclesia Sancta Catholica [a] maioris detrimenti esse videtur, quod tam bonos mores euellat, [a] Vitia enutriat, Charitatem destruat, Populisque scandalum inferat, quam prauum Clericorum exemplum; qui normam viuendi Secularibus, vt præbeant cum sint instituti, *laqueos (testes Propheta) videmus factos esse, & Rete expansum super Thabor*. Ad hoc igitur, vt eorum lux coram hominibus luceat, & eorum videantur opera bona, & per ipsos Deus, qui in Cælis est glorificetur, circa ipsos decernimus, [b] Vt omnes Clerici, siue sint Præsbyteri, siue Diaconi, siue Subdiaconi, aut quouis modo Clericali insigniti Tonsura ad eam formam quam vniuscuiusque ordinis ratio depoposcerit reducantur.

b Cap. prohib. 23. dist. c. Clerici de dist. & honest. Cler. Cōstit. Sixti V. de anno 1589. Prou. primo.

Co-

Comam, & barbam nè studiosè nutriant; Cincinnos circa collum, & tempora non habeant, sicuti capillos eminentes in fronte, aut in alteram partem reflexas non ferant, sub pęna scutorum quinque pro prima vice, nec non suspensionis à diuinis pro secunda vice; si denuò incurrerint, ac etiam carceris nostro arbitrio, c sub qua eadem poena prohibemus Vestes bipartitas, & quæ non excedunt genua deorsum, præterquam in casu itinerationis, sed omnes Vestes decenter longa vsque ad Talos inducantur, & præcipuè dum Ecclesiæ inseruiunt, Diuinaque conficiunt. Barba ita à superiore labro recidatur, vt pili in Sacrificio Missæ Christi Domini Corpus, & sanguinem sumentem non impediant. In omni vestitu color tantum niger, vel modestus adhibeatur.

d Asportationem Annuli in digitos interdicimus, & illis tantum sit concessa, quibus propter officij munus, aut honoris gradum iure conceditur. Nemo autem illo vtatur dum Missam celebrat, sub poena ammissionis Anuli, & scutorum trium.

c d.c. Clerici de vit. & honest. Cler. Concil. Trid. sess. 14. de refor. cap. 6. C. precinimus 21. q. 4. S xt. V. in canst. inc. p. cũ Sacrosãcta 16. Ianuar. 1589. Extrau. Clem. V. Incip Exponi nobis. d Vgol. de pot. Episc. c. 12. n. 3. ve. f. 5.

Clericorum incessus sit grauis, & sedatus; à verbis impudicis, dicterijs, immoderatu risu, murmurationibus, Contumelijs, per iurijs blasphemijsque abstineant, Ebrietates, & Commessationes in tabernis (itinere excepto) rixas, aliarum, & Taxillorum ludos, non solum deuitent, sed nec quemquam in eorum domibus ludere permittant, neque huiusmodi ludorum spectatores esse præsumant, sub poena ducatorum trium, & Carceris nostro arbitrio.

Iuxta Sacrorum Canonum prohibitiones alienissimi sint à tripudijs, Saltationibus, Choreis, laruis, publicisque spectaculis.

e C. à crapula de vit. & hon. Cler. cap. 1. ne Cler. vel mon. 1. S. Carol eod. tit. cap. 2. & 3. Diaz in prax. c. 79. vers obr. j. Can. Apost. 41. c. Clerici offi. c. à hor. tit. C. Episcopus 35. d. Trid. sess. 22. c. 1. Rot. coram Clem. 8. decis. 416. p. 1. diuer. num. 2.

Et cum summopere dedeceat Dei Commilitones negocijs secularium implicari, g abstineant Clerici ab omni artificio sordido, & illiberali, h ab omnibus venationibus, præcipuè clamorosis, ab omni specie mercaturæ, & negociationis, quæ licet in aliquo casu videatur permissa, censetur tamen prohibita, sub poena ducatorum viginti. i Nullo prætextu audeant se adduci, vt Iudicis, Procuratoris, & Aduocati officio fungantur, nisi in causa propria, vel Ecclesiæ, vel Clericorum, ac pauperum, aliarumque miserabilium personarum in Tribunalibus laicorum, & tunc de nostro consensu. K Ad publica vniuersitatum consilia minimè accedant, nec in

g Cap. Cler. vt ab ind. g. 14. q. 3. c. 1. ne Cler. vel mon. c. placuit. c. peruenit 21. q. 3. h c. Episcopum 34. dist. i Can. Ap. 41. c. his igitur 25. dist. c. non licet 46. dist. ac dist. 47 per totum. K ibid.

in earum negotijs se immisceant vllo pacto. [l] Nullū armorum genus Clerici deferant; siue diurno, siue nocturno tempore, præterquam per loca periculosa iter faciendo; & in tali casu ad nostrum accedent consilium, & permissionem sub pœna illorum ammissionis, nec non ducatorum quinque pro qualibet vice.

Nemo domui suæ audeat aliquam retinere mulierē, [m] nisi sit illi coniuncta in primo, & secundo gradu.

Ancillas nullus retineat, nisi nobis, vel nostro Vicario Generali certioratis de earum personis, ætatibus, & morum qualitatibus, sub pœna ducatorum decem pro prima vice; deinde Carceris per tres menses, & aliarum nostro arbitrio, quæ causæ cognitio non requiratur in excedentibus annum Quadragesimum quintum.

Clerici minoribus Ordinibus, & prima Tonsura initiati Dominicis, & Festiuis diebus mane ad Missam solemnem, die ad Vesperas in Ecclesia cui erunt adscripti inseruiant, & quamprimùm ad vlteriora procedi se accingant, & perpetuò clericalem habitum, conspicuamque Tonsuram gerant, si Clericalibus Priuilegijs potiri velint, [n] aliàs foro seculari, se nouerint subiacere, sicut nec Laicorum Gabellis, Talijs, Impositionibusque sint immunes, & exempti. [o] Qui etiam vilioribus, aut ruralibus exercitijs non se admisceant, neque publicè ligones, bidentes, vel alud quodcumque eorum statui indecorum deferant; alias pœnas ammissionis rerum, & scutorum trium se incurrisse sciant. Omnes Clerici, qui vsquè modo seruitio alicuius Ecclesiæ non sunt adscripti, hac nostra determinatione declaramus illos adscriptos esse suæ Ecclesiæ Parrochiali, cui inseruire teneantur sub pœna superius relaxata.

TITV-

l Cap. 2. de vit. & honest. Cler. Clem. 1. eod. tit. Cap. Clerici, & quasi per totū 23. quæst. 8. Gl. d. c. 2. ver. Arma.

m Armor. ff. de ver. sign. §. l. armator. Abb. d. c. 2. n. 7. Cap. 1. de cohab. Cler. & mul. Cap. interdix. t, c. seq. 32. d. f. Cap. Clericus cum seq. d. 81. Conc. Illibert. can. 27. Conc. Tolet. 2. can. 3. Conc. Ispal. 2. can. 3. Trid. sess. 25. ca. 14. c. volumus 81. d. Far. naa. tit. de delict. Carn. q. 138. par. 1. n. 32. cū seq.

n Hon. I. Sim. Pont. Pragm. Ferd. I. ver. cum igitur, & c. regni 58. vbi doct. ex const. supradi. Pont.

o Cap. Clerici, vt ab indig. 14. quæst. 4.

TITVLVS XV.

De Diuinorum Officiorum cultu, ac de Missæ Sacrificio Sanctissimo.

VEnerabilius Mysterium ob quod supernarum immissionum cumulatiùs donà in Terris sentimus non agitur, quàm Missæ Sacrificium sanctissimum, ac ea omnia, quę ad Diuini cultus exactam ordinationem pertinent: Ea propter in eorum tractatione summa Veneratio, & singularis diligentia adhibenda est, ac pro ipsius adimplemento statuimus; vt cum ad Diuina Officia, siue de die, siue de nocte in Ecclesia conueniendum erit, id campanæ signo antea denuncietur, ea interposita mora, qua omnes facile conuenire possint; & sic pro Matutino, ac horis Canonicis detur solitum signum Campanæ, Vulgo squillæ de mane hiemali tempore hora quinta decima, & sit per horam post solis ortum, Aestiuo vero tempore hora Vndecima. Pro Vesperis autem hiemali tempore hora vigesima; Aestiuo decima octaua, & sic obseruari mandamus.

Omnes talia peracturi accedant cum decenti Veste superpelliceo alijsque opportunis rebus pro sacro munere obeundo induti, quibus memoriæ mandamus, quod pro huiusmodi muneris exercitio Sixtus Papa Quintus in eius constitutione sanciuit; [a] Officia Diuina in Choro alternis cantantur vocibus, attenteque recitentur, id non obscitanter non perturbate, non cursim, non submissa, sed intelligibili, & clara voce læniter, distinctè, studiose, punctatim, ita vt distinguatur Versiculi, & commodè à spectatoribus audiri possint.

[a] S. Carolus in tit. Prou. I.

Clericali tantum Bireto, non autem Pileo tali tempore vtantur, non diuagentur per Chorum, nec per Ecclesiam, & dum communi officio opera datur, priuatim officium minime recitetur. Neque litteras, libros, aliaque scripta legant, nec de Choro quisquam exeat, nisi Diuino completo officio si necessitas non coegerit, tumque petita à Chori præfecto venia.

Diebus Dominicis, & festiuis, etiam Duplicibus, non

E de

de præcepto, semper ad Matutinũ decantetur, non verò priuatè recitetur Venerabile Canticum DD. Ambrosij, & Augustini hoc est *Te deum laudamus &c.* Et in festis Solemnioribus primæ & secundæ Classis vltra *Te Deum &c.* decantetur vltima Antiphona de laudibus, vnà cum Hymno et Cantico *Benedictus Dominus Deus Israel &c.*

Antiquum, & laudabile Decretum æditum à bon. mem. Reuerendiss. Matthæo Collio Prædecessore nostro de anno 1520. sub die secunda Martij confirmantes imposterum omnino obseruari mandamus, cuius transumptum hic adamussim recensuimus, collatiuè ex originali depromptum, quod in nostra Episcopali Cancellaria asseruatur;

MATTHAEVS COLLI

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Marsorum, & Abbas Sanctæ Mariæ de Victoria.

VOlentes pro animi nostri viribus prouidere, ne Ecclesiis nostræ Diæcesis in Sacro Missæ Sacrificio, ac Vesperis diebus festiuis solemniter peragendis detrimentum aliquod patiantur, & præsertim nostra Cathedralis Ecclesia Sanctæ Mariæ Gratiarum, nec non cupientes remouere, & tollere contentiones, quæ passim inter Canonicos pro huiusmodi causa exoriri ad Nos perferuntur de Consilio Reu. Fulgentij Thomassitti I. V. D. ex nostri parte, & Reu. D. Cæsaris Sabbatini ex parte Reu. Capituli Canonicorum electorum iuxta formam Conc. Trid. cap. 12. sess. 24. de refor. normam, & modum in dictis Sacris peragendis in hunc, qui sequitur modum præscribimus, & decernimus, videlicet, quod Canonico hebdomadario Sacrum Missæ Sacrificium, seu Vesperas solemniter celebranti, pro Diacono, & Subdiacono inseruire habeant, & inseruiant Diaconi, & Subdiaconi (si qui sint) extra Capitulum, qui si non sint inseruiant etiam Præsbyteri, ex quo præfatæ nostræ Cathedrali Ecclesiæ seruitio adscripti fuerint; & denuò quatenus

opus sit adscribantur; Ita tamen, quod inter eos ordo dignitatis, & ætatis seruetur. Qui si non sint onus hoc inseruiendi pro Subdiacono, & Diacono annectimus, & incorporamus vltimis duobus Canonicatibus, itaut penultimus pro Diacono, vltimus verò pro Subdiacono inseruire habeat; in reliquis verò ad vnguem obseruentur Capitula Diœcesana; Si quis verò contra hoc nostrum Decretum statutum, ordinationem, seu declarationem contrauenire præsumpserit, pœnam ducatorum vigintiquinque pijs locis &c. se nouerit incursurum; & alias arbitrio nostro declarandas, & ita dicimus, statuimus, & ordinamus, & declaramus isto, & omni meliori modo &c. Datum Piscinæ die 2. mensis Martij anno Domini 1590.

Matthæus Episcopus Marsorum.

Ita consulo ego Fulgentius Thomassitus I.V. D. & Canonicus Marsicanus electus à Reuerendissimo D. Episcopo.

Ita consulo Ego Cæsar Sabbatinus Canonicus Marsicanus electus à R. Capitulo Marsicano.

Dum Missæ Sacrificium solemne, siue cum cantu, siue absque cantu per Nos celebrabitur intereà id in ea Ecclesia ab alio Sacerdote non habebitur, quoad sacro peracto omnes de more non receperint Episcopalem benedictionem.

In Oratorijs, Ecclesijsque, quæ nuper extructæ sunt, siue in posterum extruentur, Missæ celebrandæ minimè erunt, nisi prius nostra obtenta licentia.

Missæ Defunctorũ diebus duplicibus, præsertim primæ, & secundæ Classis, penitus non celebrentur, nisi esset dies depositionis, vel Anniuersarij, aut alia de causa Nobis iudicanda.

Aequè dignoscentes, quàm sanctum, & salubre si pro defunctis exorare pro illis præsertim, qui Ecclesiæ aliquandiu præfuere hac ratione præcipimus, & mandamus Venerabili Capitulo, & Reu. Clero huius nostræ Cathedralis Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum, vt nobiscum vnanimes reuertente singulorum annorum circulo Anniuersarium pro anima antecessoris Episcopi præmortui habeant, in quo vna decantetur Missa de Requiem solemnis, & à singulis Canonicis, & Presbyteris vna dicatur Missa, prout in die depositionis illius, quod in perpetuum pro singulis Episcopis seruari decernimus;

cernimus; idque non solum ad Episcoporum suffragium, verum, & Canonicorum, pro quibus vnum tantum officium Generale habeatur, quod etiam volumus obseruari ab omnibus Parochis huius nostræ Diecesis.

Cùm imposterum per Nos Missa solemniter decantabitur, inchoaturi *Gloria in excelsis Deo*, sicut, & *Credo*; omnes Canonici bini, & bini ordine congruo seruato accedent ad nostrū Thronum, ibique circulariter dispositi supradicta, à principio, vsque ad finem simul cum Nobis pronuncient; ijs exceptis, qui ratione cantus præpediti in Choro reperiuntur; quibus completis ad propria loca vnusquisque reuertatur.

Et cùm indecorus valde sit vsus Collopodia asportandi in pedibus dum Diuinis assistitur, idcirco prohibemus omnibus, tam Canonicis, quàm alijs de Clero talibus vti in sacro Ministerio.

Circa absentes ad Diuina Officia ratio punctandi seruetur pro consuetudine elapsis temporibus hucusque seruata, salua tamen alia opportuna prouisione à Nobis super hoc iuxta egestatem facienda.

Si quis ad Sacerdotium promouendus erit, per aliquot antea menses ab aliquo bene Ceremoniarum perito curet in Sacrificij disciplina instrui, se expositurum coram Nostro Magistro Ceremoniarum, vel alio Sacerdote à Nobis deputando, qui fidem habilitatis ordinandi faciet, & nihilominus iam ordinatus minimè ad sacrificandum accedet, nisi obtenta à Nobis licentia.

Vehementer in Domino Præpositos, Archipresbyteros, & Curatos hortamur, vt saltem omnibus diebus festiuis de præcepto in eorum Ecclesia Missa, & Vesperę decantentur ad populi spirituale solamen.

Nouerint Hebdomadarij Ecclesiarum præcipuè Cathedralis, & Collegiatarum, quod non valent Sacrificium alijs applicare, quàm benefactoribus Ecclesiæ in communi, & hac ratione singulis diebus Missa Conuentualis, seù maior dici debet in Altari maiori, vel in alijs Sacellis; concurrentibus tamen festiuitatibus propriorum Sanctorum, quibus fuerint dicata.

TITVLVS XVI.

De Funeribus, Esequijs, & Sepulturis.

VEtus Ecclesiæ Institutum [a] Defunctorum funera pijs præcibus, & Officijs solemni ritu prosequendi multis locis auaritia, vel negligentia deprauatum ad pristinam pietatis rationem reuocantes hæc secunda omnibus Parrochis, & Curatis etiam Ecclesiarum Collegiatarum, cęterisque omnibus, ad quos imposterum spectabit præcipimus.

[a] Macab. c. 12. S. Amb. lib. de Tobia cap. 1. S. Carol. hoc tit. cap. 15.

[b] Ante Solis ortum, & post occasum mortuum efferri, atque tumulari prohibemus: Inter maioris Missæ celebrationem Mortuorum Cadauera sepulturæ causa in Ecclesia ne inferantur, sicuti nec dum sacræ habentur Conciones Euangelicæ.

[b] S. Carolus loc. cit.

[c] Cum mortuus efferendus erit cuiusuis Ecclesiæ Clerus, qui vocabitur in vnam proximi mortui Aedibus Ecclesiam congruo Processionis Ordine conueniat, vnde ordinatè bini prodeuntes Psalmos, aliasque Præces sacras canentes, cadauer ab eius domu ad Tumulum comitentur.

[c] Ibidem.

Cùm ad Ecclesiam, è domo asportatur, volumus Campanas pulsari, vsque dum peruenerit; & tunc omnes corpus suo ordine circumstent instituta Officia celebrãtes iuxta Rituale Romanum, nec prius, quàm illa completa fuerint, discedant.

Antequã Cadauer in Ecclesia deferatur, mandamus duodecim horas saltem super Terram contineri, ne Viuus aliquis infirmitatis ratione, diuersoque Accidentium euenta præoccupatus inter mortuos efferatur.

In sepeliendis paruulis Ceremoniæ in Rituali adscriptæ obseruentur: distinctas verò Sepulturas ab alijs haberi (si potest) decernimus, sub pœnis nostro arbitrio.

Et ne Episcoporum, Præsbyterorumque Cadauera vna cum Laicis admisceantur, mandamus infra annum in aliqua selecta nostræ Cathedralis Ecclesiæ parte tumulum cõstitui, in quo imposterũ Episcopi, & Sacerdotes sepeliãtur.

Ecclesiastica sepultura[a] declaramus esse interdictos, qui eorum peccata tempore Paschali confessi non fuerint, & Sacram Eucharistiam non receperit. Qui similiter duello excitato in ipso pugnæ conflictu ad hanc luce migrauerint.

d Clem. 1. de Sepult. c. sane 24. quæst. 2. Gl. c. litteras de rest. spol. Cap. 1. ex de torneam. etiam prouocati. Extrau. Martini V. incip. cum euitan.

TITVLVS XVII.

De Seminario Clericorum.

ADmittendi in hoc Seminario huius nostræ Ciuitatis non erunt nisi, qui ex legitimo thoro orti, duodecim ætatis suæ annos non habuerint, ne prima Clericali Tonsura insigniti fuerint, quippe congruenter scribere, & legere nouerint, & sint nostræ Diœcesis deque eorum indole, moribus, & ingenio spes afferatur eos in Dei doctrina profecturos. Non sint diuites, quia tunc proprijs sumptibus alendos præcipimus, & si sint exteri, sed pauperes, & egeni. Ijs vero hanc viuendi rationem præscribimus. Induant vestem violacei coloris vsque ad talos, & Clericalem Tonsuram, Biretum Ecclesiasticum, vestesque interiores simplices, ac modesti coloris ferant.

Concil. Trid. sess. 23. c. 18. S. Carolus tit. de ætat. & qual. Cler. cap. 6. 1

Debeant quoque singulis diebus Sacrificio Missæ interesse, & communiter Officium Beatissimæ Virginis recitare.

Singulis quoque mensibus Sacerdoti à nobis approbato sua peccata confiteantur, & Sacram Eucharistiam qualibet prima Dominica Mensis sumant.

In Cęremonijs, ac Sacris ritibus sępissime versentur, & collatiuè formas in Cęremoniali Romano præscriptas exerceat.

Festiuis diebus semper assiduèque nostræ Cathedrali inseruiant, precipuè verò, cum Vespere, vel Missæ Pontificales celebrari contigerit. Sacris quoque intersint lectionibus, & Concionibus, & vbique locorum summo vtantur silentio; super omnia verò fraternè se inuicem diligant, cùm Charitas vinculum sit perfectionis.

TITVLVS

TITVLVS XVIII.

De Veneratione Sanctarum Reliquiarum.

NE toto anni tempore Sanctorum, atque Beatorum insignes Reliquiæ incognitæ, atque penitus obliuioni traditæ consistant, sed illorum nomina, & miraculorum insignia Populo innotescant, Mandamus in solemnioribus aliquibus anni festiuitatibus, necnon in particularibus illorum Sanctorum ad maiorem Venerationem exponi, eorumque Nomina, & Miracula denunciari à Parrochis, & Rectoribus Ecclesiarum sub deuotis verbis, vt de illorum gressibus, & sanctitate præconiorum sonitus; ex hominum præcordijs audiantur. In locis igitur decentissimis struentur, & vnusquisque Rector diligenter recognoscat litterarum nomina, monumenta, annales, & tabellas, quibus illæ nituntur, & huiusmodi Sacræ Reliquiæ à Laicis etiam cuiusuis ordinis, & dignitatis nullo modo tractentur, nec minus tangantur, cum hoc sacrilegum, vt per hoc minime ferendum Sanctus Gregorius adnotarit. Cum vero ab Ecclesiasticis illæ cum suis loculis, vasculisque suscipiuntur, vt vel Populo ostendantur, vel in Altari exponantur, vel in Processionibus ferantur, prius illis Thurificatio adhibeatur. Cum autem in Altari exponi contigerit, hæc seruari mandamus: Primo in illis exponendis Processio per Ecclesiam, in qua situantur ab eiusdem Clero agatur certo luminum numero adhibito, idem rursus præstetur, cum reconduntur.

Tot. tit. de Reliq. & ven. Sanctor.
Concil. Later. sub Innoc. III. cap. 6.
Carthag. 5. c. 4.
Epamen. c. 25.
Trid. sess. 25. tit. de Reliq. & ven. Sanctor.

a A Sacerdote exponantur, & recondantur, qui digniorem locum in ea Ecclesia obtinet, isque Superpelliceo, Stola, & Pluuiali pro Reliquiarum, Ecclesieque ratione indutus sit. Dumque exponuntur, & item cum reconduntur, b Hymnus, vel de Apostolis, vel de Martiribus, vel de Confessoribus, aut Virginibus decantetur, provt sunt Sancti, Sanctorumque Reliquiæ, quæ exponuntur.

b Panuinius de Visit. par. 2. quæst. 3. Fusc. de dist. c. 15. num. 33. S. Carol. par. 2. fol. 487.

Dum in Altari expositæ permanent candelæ saltem qua-

tuor

tuor grandiores accensæ ibi colluceant, ad earumque custodiam adhibeatur, qui semper assistat; Horum verò Clericorum non Laicorum operâ, ministeriouè adhibito liceat fidelibus pietatis, & Religionis causa, calculorum coronis sacrarum Reliquiarum Vascula, loculósque attingere, qua loca per nos concessum erit.

TITVLVS XIX.

De Cultu Ecclesiarum, sanctarumq; Imaginum.

NOn solùm Dei Domum, in quo Sacrosancta perficiuntur Misteria, & Deus ipse cum hominibus habitans de excelso solio gloriæ suæ supplicum exaudit præces, votaque suscipit, sactificatio decet, sed etiam decor veluti illam Ioannes Apostolus miro modo ornatam conspexit. Vnde, vt talis decor in hac nostra Diæcesi nitidus conseruetur, a imposterum statuimus, vt nullæ Ecclesiæ, Oratoria, & Cappellæ de nouo nobis inconsultis ædificentur, & facultate in scriptis impetrata, vt sic in nouis huiusmodi ædificationibus diligenter in primis requiramus, an situs decens, honestusque sit, an capax Populi, an disiunctus ab Aedibus, vt circumdari possit, & ab antiquo more, probataque traditione non discedatur.

a Cap. quicunque 16. q. 1. Cap. Lator; ead. cap. q. 5. Cap. quidā 18. quæst. 2. Cap. nemo de consf. dist. 1. S. Carol. de off. ordin. c. 3. 4. & 6.

Crucis Christi Domini, eiusdemque Domini in ea affixi Imago de ligno, alioue genere piè, decorèque expræssa in omni Ecclesia, præsertim Patrochiali ponatur, aptèque collocetur, quod etiam decernimus in singulis Cappellis, siue Altaribus, in quibus Missæ celebrantur seruari.

Prohibemus in Ecclesijs fenestras, è quibus in proprijs ædibus stantes Missam spectare possint.

Quicunque Altaria, & Cappellas in aliqua Ecclesia possident, curent quamprimum iuxta ordinationes per Nos in Generali Visitatione factas, illa ornari, accommodari, & reconcinnari.

Petra sacrata ita Mensæ Altaris inseratur, vt nullum offensio-

fensionis calicis periculum adeatur, quæ quidem Petra sit longitudinis, & latitudinis à nobis in earum consecratione præscriptis, semper tamen tela cerata ita contegatur, vt facile tela amoueri nõ possit. Tabella secretorum in vno quoque Altari situetur. Et vt Ecclesiarum nitori consulatur. Altaria, Sacræ Tabulæ, Imagines, ac Parietes ipsi perpetuò eniteant. Fenestræ nõn sub obscuræ, sed perlucidæ sint. Pauimenta verò saltem octauo quoque die diligenter vertantur; quæ omnia executioni demandari curet Rector cuiusuis Ecclesiæ. Adhibeatur item diligentia, vt Ecclesiæ, Oratorij, & Cęmeterij parietes à cuiusuis generis sordibus mundi conseruentur. Ex Cęmeterijs quoque Vites, Arbores frugiferæ, & aliæ infrugiferæ, Arbusta, Vepres, Stipesque omninò euellantur, atque eradicentur.

Pauperes ad quæstum nè diuagentur per Ecclesiam, sed in Ecclesiæ foribus sibi suffragari æleemosynis petant, de quo Sacristæ etiam Regulares inuigilent, sub pœnis in Constitutione Pij Papæ Quinti pontentis.

Imagines Sanctorum, quæ in Ecclesijs, Oratorijs, & Vijs publicis depictæ nimia vetustate, aut alia de causa consumptæ prospiciuntur, aut instaurentur ab ijs; quorum interest, aut omninò deleantur, & in his pingendis nihil prophanum, quod vestitum, vel corporis formam admisceatur. Item non sculpantur, vel pingantur humi, vbi pedibus conculcari possint, sicuti, nec pingantur, aut excutiantur in locis sordidis, aut turpibus.

Denique Grammaticam in quibuscunque Ecclesijs doceri interdicimus omninò, sub pœnis nostro arbitrio.

Insuper præcipimus in Ecclesijs, vbi plures Missæ quotidie celebrantur, non omnes simul, sed singillatim vnam post aliam celebrari; saltem altera non incipiatur, nisi completo Euangelio Missæ anterioris.

TITVLVS XX.

De Ecclesiastica Immunitate.

IVrisdictionem Ecclesiasticam, siue Immunitatem augeri, non verò deprimi, aut diminui nostri muneris ratio

deposcit inuigilare; Ea propter omnibus, & singulis cuiuscunque gradus, & conditionis existant ad memoriam reducimus, ne delinquentes quoscunque ex Ecclesijs, Monasterijs, Domibus Regularium, alijsque Religiosis locis extrahere præsumant ad formam Bullæ fel. rec. Gregorij XIV.

Notificando pariter cunctis pœnam excommunicationis ipso facto incurren. ex Bulla Cęnæ Domini deprompram contra eos, qui Ecclesiasticas personas capere, carceribus mancipare, aduersus ipsas processus formare, easque directò in iudicium vocare præsumpserint.

Proprium erit quoque Parrochorum, & Confessariorum monere illos, ad quos spectabit pro tempore Vectigalia, Gabellas, & Collectas exigere, ne à personis Ecclesiasticis exigant, sicuti, nec exigere debent, etiam à spontè dantibus laicales quascunque exactiones, & impositiones, sub pœna excommunicationis in eadem Bulla Cœnæ imposita. Si qui verò contra ecclesiasticam libertatem, eiusque personas Ecclesiasticas, tam Clerici, quàm Laici, palàm, vel occultè, per se, vel per alios, siue Iudices, siue Officiales auxilium inuocauerint, aut consilium, auxilium, vel fauorem dederint, excommunicationis vinculo latæ sententiæ innodari decernimus, iuxta continentiam eiusdem Bullæ Cœnæ. Quippè omnibus & singulis in hac nostra Ciuitate, vel Diœcesi commorantibus, hac vnica Synodali Constitutione, pro trina Canonica monitione monemus, atque mandamus, ne quouis modo, aut quæsito colore impedire præsumant nostros Officiales, ac nostræ Episcopali Curiæ inseruientes, vel ipsorum aliquem, quatenus Ecclesiastica iurisdictione libere vti possit; Neque illi debeant prohibere, aut eum impedire in exequendis mandatis, ad prædictam Ecclesiasticã iurisdictionem quomodolibet spectantibus, aut quouis prætextu, vel causa carceribus mancipare, cum de iure nostro Foro subiecti existant. Et si casibus à iure concessis quempiam illorum carcerari contigerit, illum ad nos transmittere quilibet teneatur sub excommunicationis latæ Sententiæ pœna.

TITVLVS XXI.

De Piorum Locorum administratione.

Maximæ nostræ curæ Sacrosancta Trid. Synodus commendauit, vt pia loca diligenter, fideliterque administrentur, præscribendo sequentes Regulas, præcipimus, & statuimus hoc nostro Decreto, nempè, quod illis, quibus concessa fuerit talis administratio pro tempore [a] sit penitus interdictum quidquam vendere, permutare, aut extraordinarijs impensis alienare, sub quouis prætextu, siue quæsito colore, nisi prius licentiam à nobis pro summa iuridica, vel à sancta Sede Apostolica obtenta, siue tales administratores sint Clerici, siue Laici omnia fideliter gerant, & qui Ecclesijs, & Pijs locis quidque debere inspicietur, iterùm in eodem officio non confirmetur, donec integrè omnia satisfecerint ad formam Extrauag. ambitiosè, & sic exceptis illis rebus, quæ seruando seruari non possunt.

a Iul. Clar. §. Emphiteusis, q. 45 in princ. Bouer. decis. 167. num. 2.

Vnaquęque Confraternitas, siue Societas libros habeat, in quibus, quæ pertractantur ad eius fauorem, siue sint legata, vel onera imposita, certi Introitus, & incerti, & omnes aliæ Eleæmosynę adnotentur. Commessationes, Potationes, & Conuiuia quæcunque illa sint omninò prohibemus impensis Confraternitatum, sicuti nec illarum domibus, aut alibi sub nomine Confraternitatis.

Qui contrauenerint in reddenda ratione administrationis de illis minimè impunes esse nouerint, sed teneantur soluere quidquid in talibus Commessationibus de Confraternitate expensum fuerit. Et cum sanctè ad hoc vt pauperum consulatur inopiæ Montes Pietatis sint instructi piè, exactèque illos ministrari fas est.

[b] Itaque quicquid vltra sortem exigi contigerit, & quod de expensis supererit in vsus pios nostro conuertantur iudicio.

b Paul. V. Const. de an. 1615 die 5. Februarij.

Administratoribus, Officialibus, & Deputatis Montium Pietatis quibuscunque præcipimus, ne de pecunijs dictis Montibus spectantibus, & pertinentibus in alias, quàm pau-

petuum vſus iuxta formam in eorum erectione præſcriptam conuertant, abſque noſtra auctoritate ſub pœnis noſtro arbitrio.

Et vt fidelibus innoteſcat, quam graue facinus ſit res Eccleſiaſticas alienare, vel eius bona, fructuſque retinere oneramus, Parrochorum, & Curatorum Conſcientias, vt ter in anno, hoc eſt in feſtiuitatibus ſolemnioribus illis dignoſcendam annuncient Excommunicationem maiorem, qua innodantur huiuſmodi detentores, & vſurpatores à Sacro Tridentino Concilio, necnon in Bulla Cœnæ Domini, in qua Excommunicationis pęna declaramus incurrere, qui ligna cædendi in locis Eccleſiarum licentiam cōceſſerint nobis inconſultis etiam ſi ſint Adminiſtratores, & Coloni eorumdem piorum locorum.

c Exam. 17. ver. quinc iuriſdictionem, Conc. Later. ſub Leo X. ſeſſ. 9. cap. 10. Conc. Turonen. 2. cap. 258 Magunt. cap. 6. & 11.

TITVLVS XXII.

De Solutione Decimarum.

DEcimas eſſe ſoluendas Eccleſijs, eorumque Rectoribus ſecundum locorum conſuetudines cunctis euidēter pateat. Talis enim ſolutio Deo eſt debita, qua propter ſoluere ea recuſantes, nè dùm Sacrilegium perpetrare, & æternæ damnationis periculum incurrere nouerint; Verùm etiam à Nobis Excommunicationis cenſura irretiri publicētur, nec de illa niſi integra ſoluta ſatisfactione abſoluentur; Circa quod præcipuè inuigilent Parrochi, & Rectores huius noſtræ Diœceſis.

TITVLVS XXIII.

De piarum Voluntatum Executione.

OMnes Hoſpitalium, Montium, Sodalitatum, aliorūque piorum locorum Adminiſtratores ſingulis annis de eorum miniſterijs rationem reddere teneantur cum noſtri

ſtri Vicarij Generalis interuentu, ſiue alterius à nobis deputandi: liberationes aliter factæ nullo pacto ſuffragari declaramus, ſed illi à quibus fuerint ſic completæ ad rationem denuò conueniantur.

Per hoc euidentiſſimè cunctis notum ſit Epiſcopum vltimarum voluntatũ Executorem à Sacris Canonibus, & Sac. Conc. Trid. tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum deputari; Vnde ad hoc vt piæ fidelium voluntates adimplere iuxta Teſtatorum deſideria remaneant; Omnibus Notarijs ſecularibus, ſiue Apoſtolicis quibuſcunque præcipimus, & mandamus, quatenus Teſtamenta, ſiue diſpoſitiones ad pias cauſas quotieſcunque fieri contigerit, earum notam infra menſem nobis, vel noſtro Vicario Generali exhibeant, ſub excomunicationis pœna, alijſque arbitrarijs. Et ne in ipſarum executione cum Commiſſarijs Reuer. Fabricæ controuerſia (vt plurimum expertum eſt) oriatur ommittendum minimè duximus, quod à Sacra Congregatione, & à Sanctiſſimo Vrbano Octauo fel. rec. ſancitum, approbatumque fuit de hac re; quorum tenorem ad elegantiorem notitiam hìc recenſuimus; Videlicèt.

Vrbanus Octauus ad futuram rei memoriam.

NVper pro parte dilecti Economi Fabricæ Baſilicę Principis Apoſtolorum de Vrbe nobis expoſitũ fuit, quod à Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, nec non dilectis filijs Prælatis eidem Fabricæ præfectis decreta emanarunt, tenoris ſubſequentis, videlicèt; In Congregatione Generali Reuerendæ Fabricæ Sancti Petri habita de more in Palatio Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Decani, die Sabbati 25. Septembris 1632. inter coetera fuiſſe decretum, prout infra, videlicèt, Economo Fabricæ petenti prouideri in debitis Commiſſariorum vexationibus, quas partibus, quæ iam legata pia per eas debita adimpleuerunt, illorumque adimplementum oſtendunt, & nihilominus ab eius ſemel, & pluries contra formam ordinationum huius Sacræ Congregationis, & Inſtructionum pecunias extorquent pro imponendis Decretis ſuper viſitatione, & approbatione Quietantiarum, quas illis partes exhibent; Emminentiſſimi Domini prohibuerunt Commiſſarijs

nunc

nunc, & pro tempore existen. nè aliquid à dictis partibus etiam conuentis, & quietantias exhibentibus, aut pro dicta exhibitione, aut Decreto, aut alio quouis prætextu recipiant, quod si contrafecerint, illud totum eisdem partibus restituant, & restituere compellantur, & præmissa ab omnibus, quorum interest inuiolabiliter seruari mandarũt omni, &c. & in alia Congregatione Generali habita vbi supra die 13. Nouembris eiusdem anni, inter alia fuit decretum, vt infra, videlicet. Eminentiss. DD. confirmando Decretum in præcedenti Congregatione factum contra Commissarios extorquentes pecunias ab his, qui iam legata adimpleuerunt, non solùm mandarunt Domini compelli ad restitutionem illorum, quod à prædictis extorsissent, sed amplius illos eorum offidio priuarunt, & priuant, & hæc significari mandarunt etiam Rouigliono, vt tales Commissarios prædictis contra facientes etiam pęnæ dictæ priuationis punire possit omni, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Collegio eiusdem Fabricæ die 13. Nouembris 1632.

Decreto da osseruarsi in fulminare le Censure nel Tribunale della Fabrica di Napoli.

NOn si possa procedere nel Tribunale della Fabrica, tanto in Napoli, come fuori alle Censure per somma, che non eccedi vinti ducati, e prima non siano stati legitimamente condennati li debitori, e rilassati li mandati contra di loro, e fatte le debite diligenze d'esseguirli; e non si trouando, ò non puotendo eseguire, ne realmente, ne personalmente all'hora, e non prima in subsiium, præcedenti le solite monitioni si venga alla relassatione delle Censure, con esprimere in esse la somma, e la causa per la quale sono spedite, & rilassate, ò fulminate, in altra maniera siano ipso iure nulle, ne leghino gli dichiarati in esse Scommunicati, & oltre alle sudette cose li Commissarij nelle cause pertinenti alla loro giurisdittione tanto per esecutione delle loro sentenze, come per causa d'inobedienza, e contumacie non possano rilassar dette censure, se non in subsidium nel modo di sopra, e con il voto de i Consultori assignatili secondo il solito dall'vniuersità, e sotto le pene contenute ne gl'oblighi, e sicurtà date

nel

nel Tribunale, e della priuatione dell'officio, & altre ad arbitrio della Sacra Congregatione. Roma 20. Aprile 1632. Prohibitiones Sacræ Congregationis Fabricæ Principis Apostolorum de Vrbe eius Officialibus, & Ministris, nè ab his, qui legata pia adimpleuerunt, & adimplementa ostendunt aliquid exigatur Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Fabricæ Præfecti, vna cum Reuerendissimis eius Prælatis in eiusdem Fabricæ Congregatione de more habita in Palatio Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Decani, die 23. Maij 1633. Prohibuerunt Reuigliono, Commissarijs, & alijs quibuscunque Officialibus, & Ministris Fabricæ, ne sub pœna restitutionis, alijsque arbitrio Sacræ Congregationis aliquid exigant, vel recipiãt prætextu expensarum. Viaticorum, actorum, & mandatorum, aut aliorum emolumenrorum à debitoribus legatorum piorum conuentis in Tribunali Fabricæ, qui dicta legata adimpleuerunt, illorumque adimplementa, & satisfactiones ostendunt, non obstante, quod contra eos pro dictis legatis à Iudicibus Commissarijs, aut alijs Ministris Fabricæ fuisse relaxatum mandatum, & ita inuiolabiliter obseruari mandarunt, & in alia eiusdem Fabricæ Congregatione habita die 13. Iunij eiusdem anni Ijdem Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis, vnà cum Reuerendissimis eius Prælatis mandauerunt seruari supradictam prohibitionem, quod ab his, qui legata adimpleuerunt, & adimplementa ostendunt; nihil penitus exigatur. & hæc omnia in Officijs Fabricæ, ac etiam instructionibus Commissariorum annotari, ne de his prætendatur ignorantia, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari. In quorum fidem, &c. Datum Romę in Collegio dictæ Fabricæ die 14. Mensis Iunij 1633. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dictus Aeconomus Decreta præinserta quò firmius subsistant, & exactius obseruentur Apostolicæ, nostræ Confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos dictum Aeconomum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequenter: harum seriè

absol-

absoluentes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus illisque Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & omnes, ac singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui denuo interuenerint supplemus, decernentes illa, necnon præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, vt ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Fabricæ etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum, tenore præsentium pro sufficienter expressis habentes illis, alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Februarij 1633. Pontificatus Nostri anno vndecimo. M.A. Maraldus.

TITVLVS XXIV.

De Obseruatione Ieiunij.

a S.Leo Pont. ser.4. in quod

QVamuis nulla sint tempora, quæ Diuinis non sint plena muneribus; & semper ad Misericordiam Dei nobis per ipsius gratiam præstetur accessus; Mysterio quidem Ieiunij incessabilis deuotio, & continuata reuerentia præstanda est, vt talis illius tempore in conspectu Dei permaneamus exterius, quales intus inueniri optamus. Et cum Ieiunij dies mistici ad purificandos corpora, & animos instituti sint ab Apostolis, Apostolicis mandatis parere,

re, cum emundatione carnis, ac Spiritus dignum, & iustum est.

Primo igitur ne Ieiunia ob ignorantiam, aut obliuionem non obseruentur; Decernimus, vt pridie diei, quo de præcepto ieiunandum est Quadragesimali tempore excepto. Vesperi circa mediam noctis horam aliquod peculiare signum cum campana maiori in hac Ciuitate ab Ecclesia Sancti Berardi, per Diœcesim vero ab Ecclesijs Matricibus, siue Parrochialibus præmonito Populo inter Missarum Solemnia de talis signi insinuatione.

a Temporibus ieiunij præcipimus, ne carnes, oua, lacticinia alijque cibi prohibiti vllo loco, tam Ciuitatis, quàm Diœcesis nostrę venalia proponantur circumferantur, emantur, aut apponantur absque nostra licentia, vel nostri Vicarij Generalis, & per Diœcesim Foraneorum, sub pœna ducatorum quinque, exceptis carnibus, & cibis pro Ęgrotantium vsu, & ista in certo loco illis dumtaxat vendendis, quibus licentias concesserint prius Medici, & Parrochi, quorum conscientias oneramus, vt ijs tantum concedant, qui aliter facere nequeant. Sciant quoque omnes vnicam commestionem circa meridiem fieri debere, vt ritè, decenterque ieiunia celebrentur. Ab ijs autem omnibus eos excipimus, quos vrgens necessitas, vel imbecilla ætas à ieiunij lege eximit, eos etiam qui euidentis morbi, alteriusque legitimæ causæ excusationem habent.

a c. 3. de obser. ieiun. c. De esu carnium c. Sabbato de consec. 5 c. ieiuniis cad. 4. c. 3.

Et quia suadente Leonis præconio *non in sola abstinentia cibi stat nostra summa Ieiunij, aut fructuosè corpori esca subtrahitur nisi mens ab iniquitate reuocetur*, ideo ieiuniorum temporibus fideles ab illicitis abstineant voluptatibus: nec à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis, & à Vigilia Natiuitatis Domini vsque ad ipsius Circumcisionem, inhonestarum Mulierum domos ingredi non audeant, qui vero hoc nostrum mandatum spreuerint, nostro punientur arbitrio debitis pœnis.

1576

TITVLVS XXV.

De Vicarijs Foraneis, eorumque auctoritate.

CVm per Nos ipſos ad Negocia totius Diœceſis ſemper aſſiſtere non poſſimus, laudabilem conſuetudinem, Vicarios Foraneos inſtituendi conſeruare cupientes in aliquibus præſtantioribus locis illos opportune conſtituere iudicauimus. Et vt ſciant, & æquè omnibus appareat, qua facultate eos potiri decreuimus, declaramus; quod Vicarij Foranei omnes cauſas Ciuiles vſque ad ſummam ducatorũ ſex conficere poſſint; In Criminalibus autem minimè ſe ingerant, ſed ſolum informationem capiant illamque ad nos tranſmittant, vt ex omnibus poſtea diffinitiua ſententia proferatur, quando tamen non adſit ſuſpicionis fugæ timor, aut delicti Aenormitas aliud expoſtularit, quia eo caſu poterunt perſonam in locis tutiſſimis conſeruare, quouſque de omnibus nos certiorauerint.

TITVLVS XXVI.

De Monialibus eorumque Miniſtris.

NE quidquam indecorum reperiatur in Sancti Monialibus, quæ ſub ſuaui Religionis iugo in puriſſimo caſtitatis Holocauſto Chriſto Seruatori noſtro propriam deuouerunt Virginitatem, quod Regularis honeſtatis pompam, & diuinam poſſit offendere Maieſtatem, præſenti noſtro Decreto mandamus, vt nulla Puella ad habitus ſuſceptionem admittatur, niſi prius per Parentes, ſeu Conſanguineos ſoluta.[a] Dote Monaſterio conſignari aſſueta in pecunia enumerata, quæ non à Monialibus recipiatur, ſed pœnes idoneam perſonam deponatur, ad hoc vt cum Puella profeſſionem emiſerit integrè Monaſterio reinueſtiendi cauſa conſignetur.

Puel-

[a] Conc. Trid. d. ſeſſ. 25. c. 16. de regul.

b Puellæ educandæ in Monasterijs non admittantur absque licentia in scriptis à a Sacra Congregatione obtenta, & conditionibus ab ipsamet præscriptis non adimpletis. Pro qua educatione solita alimenta iuxta Monasterij consuetudinem singulis annis soluantur, anticipata solutione de sex mensibus in alios sex menses; quod si soluere per sex menses neglexerint, vel recusauerint ad suos remittantur. b Anno qui dicitur probationis expleto teneatur Abbatissa ante præfiniti temporis mensem Nos de professione à Virgine ad mittenda admonere, quod si contrafecerit poenam suspensionis ab officio se nouerit incursuram.

a Sub die vlt. Aug. 1575. Extat aliud decretum Sac. Cōg. apud Roderic. tom. 1. q.46.art.10.

b Sess.25.c.17.

c Et vt Clausuræ limina iuxta Sacros Canones, ac Summorum Pontificum Constitutiones, & sac. Trid. Concilij Decreta inuiolabiliter custodiantur, præcipimus, & districtè mandamus, vt nullus sine nostra, vel nostri Vicarij Generalis facultate ad collocutoria accedere, c Monialesque alloqui præsumat, (exceptis Consanguineis, vel affinibus in primo, & secundo gradu) sub excōmunicationis pęna, prout latius in Aedicto nostro super hoc specialiter emanato.

c Conc. Tur. sub Carolo c. 29.

d Nullus item Physicus, Chirurgus, aut cuiusuis generis administrator, vel Procurator sub quouis prętextu, vel causa audeat Monasteria ingredi absque licentia in scriptis, vt supra obtinenda etiam si magna vrgeret necessitas, qui contraire ausus fuerit Excōmunicationem ipso facto incurret, cuius absolutionem Summo soli Pontifici spectare sciat.

d Conc. Cab. c.55. & 56. Gregor. 13. in Const. Incip. Vbi gratiæ 24. Iulij 1545. Clem.VIII. 24. Decem. 1604.

Cum verò vrgentissima necessitas coegerit, obtentaque facultate ille, cuius industria necessario adhibenda erit à duabus saltem Senioribus Monialibus associatus recto tramite ad locum destinatum perget, & per eadem viam reuertetur, non declinans à dextris, neque à sinistris. Et vt Moniales sciant se ad propria cubicula secedere opus esse in talibus casibus, præcedat semper aliquātisper Cāpanulę signū.

e Nullus Sacerdos, tam secularis, quam Regularis excepto Cappellano in Ecclesijs Monialium audeat celebrare, nisi obtenta à Nobis facultate sub poena suspensionis à diuinis ipso facto incurrenda, alijsque nobis reseruatis.

e De mandato Sixti V. nonis Maij 1550.

Clauis Fenestrellæ pro Communione Monialium perpetuo sit apud Confessarium. In Ecclesijs Monialium cantus simplex, vel figuratus à personis secularibus non permittatur absque nostra licentia. Pueri, & Puellæ cuiusuis mini-

mæ ætatis non debeant vllo pacto intra Monasterij septa admitti. Sicuti nec Confessarius illam ingredi potest ad aspergendum in Sabbato Sancto, neque alia die, nec vt comitetur Medicos, aut Operarios. Quem etiam abstinere mandamus ab audiendis Confessionibus illarum Monialium infirmarũ, quæ possunt ad Confessionales sedes accedere. Sub prætextu Monialis sepeliendæ, aut Officium funerale peragendi, siue Processionis causa ingredi Monasterium sit illi interdictum. Quo in casu, tàm intrando, quàm exeundo non diuagetur ad aliam Monasterij partem, & in casibus alijs necessarijs pauci, & Religiosi sermones habeantur.

Licentiæ Medicorum, Chirurgorum, & Operariorum quolibet semestri renouentur. Omnes Cani, & Catelli in Monasterio non retineantur.

Accessus ad Moniales, sub colore, vel causa docendi sonum Cimbalorum, aliorumque Instrumentorum, aut Musicam, vel Cantum ad Crates omninò interdicimus.

Moniales omnes hortamur denique, vt diebus Communionis pro reuerentia tanti Sacramenti abstineant à Colloquijs in Collocutorijs, sed ad Meditationes, & Lectiones Sacrorum Librorum implicentur.

TITVLVS XXVII.

De Examinatoribus Synodalibus.

EX dispositione Sacrosancti Tridentini Concilij statutũ est, vt in Diœcesana Synodo aliqui Examinatores Synodales proponantur, & approbentur, qui nedum concurrentes ad Parrochiales Ecclesias obtinendas, sed etiam promouendos ad Ordines & ad Confessiones admittendos, examinent. Ea propter his, quos ad hoc munus destinamus infrascripta obseruanda proponimus. Nempè, vt humanis affectibus non obsequantur, sed Deo inseruiant, conscientiæ propriæ satisfaciant, & Ecclesiæ vtilitati, ac Animarum saluti consulant. Iurent quoque ad sacra Dei Euangelia quacunque aliena affectione proposita munus ipsis demandatum fideliter, & integrè executuros ex eiusdem Concilij præscripto.

Nominamus igitur, eligimus, & deputamus Examinatores Synodalis pro hac nostra Ciuitate, & Diœcesi.

1 PEr illustrem, & Admodum Reuerendum Dominum Petrum Franciscum Cœlestinum I. V. D. nostrum, in spiritualibus, & temporalibus Vicarium Generalem.

2 Admodum Reuerendum Dominum Ioannem de Meis I. V. D. Archidiaconum nostræ Cathedralis.

3 Admodum Reuerendum Dominum Paulum Antoniū Thomassittum I. V. D. Canonicum nostræ Cathedralis.

4 Admodum Reuerendum Dominum Abbatem Mutium Phæbonium de Auezzano I. V. D. Prothonotarium Apostolicum.

5 Admodum Reuerendum Dominum Bartholomæum de Andreis I. V. D.

6 Admodum Reuerendum Dominum Curtium de Grossis Sacræ Theologiæ Doct. Curatum Ecclesiæ Parrochialis Sancti Nicolai Terræ Talleacotij.

7 Admodum Reuerendum Dominum Dionysium Barosinm de Opis Sac. Theol. Doctorem.

8 Admodum Reuerendum Dominum Cinthium Orantem de Sancto Sebastiano I. V. D.

9 Admodum Reuerendum Dominum Siluerium de Comitibus I. V. D.

10 Admodum Reuerendum Dominum Pompeum Antonellum de Catseolis I. V. D. nostrum Vicarium Foraneū, & Curatum Ecclesiæ Parrochialis Montis Sabinensis.

11 Admodum Reuerendum Dominum Curtium de Nouellis de Hortona I. V. D.

12 Admodum Reuerendum Dominum Andream Placidū Archipræsbyterum Ecclesiæ Parrochialis Sanctæ Mariæ Podij Ginolfi.

13 Admodum Reuerendum Dominum Alexandrum de Vecchis de Auricula I. V. D.

14 Admodum Reuerendum Patrem, Fratrem Saluatorem Malmitium Romanum Sacræ Theologiæ Lectorem Ordinis Minorum de Obseruantia Sancti Francisci nostrum Theologum, eiusque Successores pro tempore.

TITVLVS XXVIII.

De Iudicibus Synodalibus.

EX eiusdem Sac. Trid. Conc. Decreto Iudices, etiam in Diœcesana Synodo sunt eligendi, quibus Ecclesiasticæ causæ spirituales, & quæ ad Forum pertinent Ecclesiasticū, quæque in partibus delegantur committi debent. Et Nos eidem Sac. Conc. (vt par est) obedire cupientes infrascriptos nostros Canonicos deputamus, & eligimus.

Adm. R. D. Ioannem de Meis I. V. D. Archidiaconum Cathedralis.

Adm. R. D. Marcum Simbolum Canonicum, & Decanum nostræ Cathedralis.

Adm. R. D. Ioannem Antonium de Melioribus Canonicum Cathedralis nostrum Magistrum Cęremoniarum.

Adm. R. D. Paulum Antonium Thomassittum I. V. D. Canonicum nostræ Cathedralis.

Adm. R. D. Angelum Ruggerium Canonicum Cathedralis.

Adm. R. D. Lazzarum Michelettum Canonicum nostræ Cathedralis.

Nominamus Assistentes huius nostræ Diœcesanæ Synodi.

PErillustrem, & Admodum Reu. D. Abbatem Alexandrum de Silverijs Piccolomineum I. V. D. Prothonotarium Apostolicum, & Præpositum Ecclesiæ Collegiatæ sancti Ioannis Baptistæ Terræ Celani.

Per Illustrem, & Admodúm Reu. D. Abbatem Mutium Phæbonium I. V. D. Prothonotarium Apostolicum.

Deputauimus pariter Secretarios huius nostræ Synodi Diœcesanæ.

ADmodum Reuerendum Dominum Lazzarum Michelettum Canonicum nostræ Cathedralis.

Admodum Reuer. D. Ascanium de Ascanijs Pontificij I. D. Abbatem Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Luci.

TITVLVS XXIX.

De Testibus Synodalibus.

AD euitandas pęnas in Sac.Conc.Lateranensi sub Innocentio III. ijs propositas, qui nullos in Synodo Testes nominauerint. Vt tàm celebre institutum à nobis non deseratur, nomina Testiũ in Ciuitate apud nos reseruamus, per Diçcesim verò nominamus omnes nostros Vicarios Foraneos, quorum erit munus animaduertere diligenter, an in hac Diçcesi nostra, aut Ecclesijs nobis subiectis, aliquid correctione, vel emendatione dignum existat. An ea quæ in præsenti Synodo laudabiliter cõstituta sunt obseruentur: si quid verò ex præfatis cognouerint deficere, id statim nobis, vel nostro Vicario deferre non negligant, vt spiritualibus nostri Gregis languoribus, atq; necessitatibus prouidè consulere, & facilius iniuncto nobis Ministerio occurrere possimus. Vbi verò pro huius muneris exercitio absunt Vicarij Foranei, nominamus, & destinamus omnes Parrochos, & Curatos.

TIT. XXX. ET VLTIM.

De præfatorum Decretorum Synodalium Obseruatione.

VT ab omnibus ea omnia, quæ in præsenti Synodo decreta sunt absq; ignorantia, & inuiolatè obseruentur trium Mensium spatium pro exacto complemento in obseruatione assignamus sub pœnis in eisdem Decretis, & Constitutionibus emanatis. Vbi verò nullam pœnam contra inobedientes, & transgressores apposuimus; Volumus pœnis à Sacris Canonibus, & Summorum Pontificum Bullis, Constitutionibusque fulminatis subiacere.

Teneantur deniq; omnes, & singuli Parrochi, Curati, ac alij, quibus de iure cõpetit nostrę Diçcesis (post horũ Decretorũ promulgationẽ, seu impressionẽ pęnes se illa retinere, ac frequenter perlegere) vt melius vnusquisq; sui muneris officiũ agnoscat; & sic præcipimus, atque strictè mandamus.

ASCA-

ASCANIVS EP. MARSORVM.

Qui Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus allocutus est Vniuersos in hunc qui sequitur modum.

FRatres, & filij amatissimi audistis ea, quæ ad laudem Omnipotentis Dei vobis in hac Synodo obseruanda proponimus. Ideò si qui à vobis incontrarium occurrerit dicite; & omnes responderunt. Placet, placet.

L.I.V.D. Lecta fuerunt supradicta Decreta ab Adm. Reuer. D. Laureto Antonio de Blasis Abbate Ecclesiæ Colleggiatæ SS. Cesidij, & Rufini terræ Transaquarum Marsicanæ Diœcesis. Deinde fuerunt factæ Acclamationes. Quibus peractis Cantores cantarunt Te Deum laudamus, &c. & tandem Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus Synodum benedixit, & dimisit in pace.

Et nè de prædictis dubitare contingat. Ego Ioannes Franciscus Meliorius Ciuitatis Piscinæ Apostolica auctoritate Notarius, & in Archiuio Rom. Cur. descriptus, & Curiæ Episcopalis Marsicanæ Cancellarius, de prædictis ad instantiam, &c. Rogatus præsens Instrumentum scripsi, subscripsi, & publicaui, ac meo solito signo signaui requisitus. Acta fuerunt hæc omnia in Ciuitate Piscinæ in Ecclesia Cathedrali Sanctæ Mariæ Gratiarum in Congreg. Synodali Marsicana. Præsidente Illustriss. & Reuerendiss. DD. Ascanio de Gasperis eiusdem Ecclesiæ Episcopo, & Assistentibus omnibus de Capitulo Cathedrali, præsentibus alijs de Clero Ciuitatis, & maioris partis Diœcesis prædictæ, die 22. mensis Apr. 1653. in dict. 6. Pontif. autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. INNOCENTII PP. X. Anno eius 9. præsentibus quoq; adm Reu. D. Iulio Regio Abbati terræ Austæ Abbatiæ sublacen. nullius, & Illustribus DD. Ioanne Thomassetto Gubernatore eiusdem Ciuitatis, & Simone Mattuccio I. V. D. de Tocco Diœcesis Theatin. Incola Ciuitatis Piscinæ, testibus ad infrascripta omnia, & singula habitis, vocatis, atque rogatis, & alijs, &c.

Idem qui supra Notarius Apostolicus, & Cancellarius.

Loco ✝ Sigilli

ORA-

ORATIO

HABITA IN DIOCOESANA SINODO MARSICANA

à R. P. Fr. Saluatore Malmitio Romano Ord. Min. Sancti Francisci de obseruantia Illustriss. & Reuerendiss. Episc. Theologo.

CVm ille, qui bonum semen seminauit in agro suo esset lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui de se, testabatur Ioannis 8. *Ego sum lux mundi*; Hinc planè effectus est, vt Euangelica lex quam seminauit, tota fuerit splendida, & immaculata, de qua Regius Vates aiebat *Præceptum* Psal. 18
Domini lucidum illuminans oculos; Lucidum, quia vndique purũ, vndique irreprehensibile, vndique sanctum, plenum amore feruens charitate, abundans pace, dilectione repletum, qualscumque superans leges; ex quo plausibiliter concluserit idem: *Lex Domi-* Idem.
ni immaculata conuertens animas. Vndè ergò tam perfectissima cum sit, & pura lex Euangelica habet zizania? Quis tam imprudens, tamquè fronte perfricta est, qui huiuscemodi legi zizania aliqua inserere audeat, & eam quodammodò consuetudinibus deprauatis adulterare? Euangelistam interrogate, qui inimicum Matt. 13
hominem hoc fecisse dormientibus cunctis testatur. Cum enim se à Paradiso deiectum, & homines ad cælestia Regna admittendos prospiceret, inuida mente zizania decreuit inserere errorum. Quippe hoc profundo iudicio fert Deus, nec eius profunditatem exarare licet, cũ arcana verba nõ liceat homini loqui. Nam quemadmodum solis radios in sereno meridie rutilantis quicumque intueri voluerit retrusus à lumine obcęcatur potiusquam videat: ità qui, & diuinorum iudiciorum conatus fuerit indagare secreta, ad eorum numquã valet indaginem peruenire. Caligat prorsus humanæ acies intelligentiæ degentis in carne; quoties ineffabili diuini splendoris claritate attollitur, atquè absconditas iudiciorum Dei rationes comprehendere molitur, cum omnino inuestigabiles sint, Apostolo proclamante, *O Altitudo diuitiarum* Rom.
Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & 11.
inuestigabiles viæ eius. Venerandum itaque est quod nequit attingi, atque cum honore colendum; Ad pristinum redeo sermonẽ dormitauerunt vsquè modo homines, dormierunt somnum suũ, & ideo nihil in agro hoc Marsicano inuentum est tritici, imò loco tritici zizania superseminauit Auerni Rector. Eradicanda, euellenda igitur sunt ab Agrigolis tempore messis, ne hunc Dominicum Agrum corrumpant, & inficiant.

Non-

Nonne hæc vestra coadunatio messis copiosissima omni ex parte apparet (Illustriss. & Reuerendiss. Præsul, Patrumque vocatorum præstantissima corona) Messis quidem, in qua fœcundarum virtutum deauratæ spigæ, in area vestrorum corporum, excussa palea vitiorum, granum purum in horrea summi regis cōseruat. Vt ergò conseruetur triticum, & comburantur zizania, hoc vobis præconizzatum est, præco super hoc ego etiam accedo. Graue quidem mihi est quod mihi iungitur, vt Patres instruam, Doctores doceam præsertim scriptum cùm sit. *Interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Sed mihi præcipit magnus iste Moises, cuius manus graues, cui obedientia præstanda, nedum à me, verùm ab omnibus vobis equidem est. Hic Pastor est bonus, qui non disperdit, sed congregat Oues, & pro illis animam ponit. Agricola hic est qui non suam, sed Domini optans vtilitatem ipsi soli fidem seruat, ipsi laborat, ipsum honorat, ipsi suam dirigit gloriam. Hic prudens ille Villicus est, qui in sudore villicationis suæ non dissipat quæ Domini, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærit.

Deut. 32.

Hic est Petrus, qui alijs discipulis elaborantibus in remigando, solus ad Iesum se misit in Mare. Vnusquisque vestrum sua Nauicula, Nempè sua dignitate, gubernio, & dominatione contentus est. Mihi aquiescite ergò arripite aures, plaudite manibus; ex præconijs sonent vestra præconia dum in charitate ab ipso vocati ad colendum Domini Vineam, custodiendum Domini Gregem cùm ipso occurristis. Ex quo gratulanter eius vox resonet in auribus vestris, pulsentur hoc sonitu corda. *Ecce quam bonum, & quàm iucundū habitare fratres in vnum.* Et verè iucunda habitatio iucūda conuentio, quæ duce Spiritu Sācto satis est explorata.

Obscura Locutio, & enigmatica.

Ps. 132.

Nota sunt vobis (Patres dignissimi) huius Marsicanæ Vineæ vulnera, quæ libenter prætereo, quia si nè acerbissimi sensū doloris, nec à me commemorari, neque à vobis audiri posse existimo. Patet nobis, quomodo exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eā. Singulari quoque virtute, & prudentia vigilantissimi nostri Antistitis ASCANII grauissimis malis remedium inuentum est impositione salubri P. Synodalium Decretorum. Omnes huc aduenistis, vt illa recipiatis, omnes conuenistis, vt ex hac conuentione quasi specula singulis huius Prouinciæ partibus circumspecti, Ezechielis voce admoniti, *Requiratis, quod perijt; reducatis quod erat obiectum; alligetis quod confractū; consolideiis quod infirmum; sanetis quod ægrotum; quod pingue & forte*

Ezech. c. 34.

su-

custodiatis. Vidistis ouium dispersionem, eo quod non esset Pastor, & quommodò factæ sunt in rapinam, & deuorationem omnium bestiarum agri. Ad hoc igitur vt congregentur, & in vberrimis pascuis pascantur, requiescant in herbis virentibus, & pinguibus super montes Israel, vos vocauit Amantissimus vester Pastor, nam hoc munus Pastoris, hoc Ducis officium, hæ Gubernatoris sunt partes; vt gregi, militibus, naui potissimum prospiciat. Hoc Deus per Ieremiam illi proposuit. *Ecce constitui Te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes*; peroptime totum adimplet in hac Synodo, euellit, & destruit vitia; disperdit, & dissipat corruptelas; ædificat, sanctitatē, plantat venerationem. Quod si fortasse pauca, sunt, quæ in his apposuit constitutionibus, vtilitas tamen non pauca; neque fructus exiguus ex ipsa Synodo existet, si vos quasi in specula, omnia contemplantes eritis. Intellexistis iam, & modò intelligitis quā grauis rerum tractatio vobis proponitur, quæ tota ad sananda vulnera, ad pericula propulsanda, ad morum tenebras deijciendas, ad augendam Dominici agriculturam sunt posita. Ier.1.

Timetis ne illā apprehendere? Aperite illi iustitiæ ianuas, & ingredietur ad vos, sicuti obseruabat, & scribebat Psalmographus. *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino*. Ps.117.

Trepidatis in obseruatione? Disciplinā apprehendite, contineatis vos ab operibus prauis, iustitiā habendo, & faciendo, Quia, *qui continens est iustitiæ apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificanda*. Ec. 15.

Formidatis Principes, & Potestates tenebrarum harum? Iustitiam apprehendite iustitia pauperes, & humiles iustificando, & profectò in iustitia exaltabimini.

Timetis fortasse conculcari à Leonibus, si iustitiam bonorum operum tenueritis? Daniel in lacu Leonū clamat; *Et non nocuerunt mihi. Quare? Quia iustitia inuenta est in me coram Deo, iustitia plena est dextera mea*. Vultis de manu Domini recipere duplicia, hoc est spiritualia, & temporalia? *Primùm quærite (iuxtà superni Magistri Oraculum) regnum Dei, & iustitiam eius*. Dan.14 Matt.6

Sed quommodò inuenietis; quærite per sapientiā, & inuenietis. Ceterùm quam sapientiā, huius ne Mundi? Absit, neq; enim stulti, nisi propter Christum effici debetis, qua stultitia, quænam sapiētia maior est? Illam dico, quæ non relatione incerta; nō suspicione obscura; nō coniectura probabili, sed è cęlestibus sedibus emissa. Illam dico, sine qua quisquis ex incuria vagatur exterius, lutuosæ, ac voluptuosæ carnis commercio fœdatur; sensuum lenocinio fremit, Concupiscentiarū repletur vepribus, mūdi Ciuis, ac seculi

ama-

amator efficitur;quærit quæ sua sunt;honoribus delectatur; ambitiosè concupiscit; & in fasces glomerans numerosas indagines captionum,cateruatim ruuinas, & præcipitia sibi congerit. Illam dico,quæ non Aristot. studio acquisita; non Pittagoricis peregrinationibus parta; non Zenonis paupertate empta; non è puteo Democriti hausta;non ad fontē Demostenis attincta;nō ad Cleātis lucernam insudata,non è Platonis diuinitate deprompta, sed Diuina quadam Spiritus sancti largitate profusa à Patre luminū descendit,à quo omne datum optimum,& donum perfectum est. Tanto igitur tàm excellenti,ac virtutum nobili comitatus cętu, præsidioq;munitus,tanta tàm incredibili,ac penè Diuina Sapientia Duce,quid tàm magnum,aut admirandum Illustriss. & Reuerendiss.noster Præsul suscepit, quod ab illa persona, quam toto cordis affectu diligit,toto;oris conatu confitetur nō requiratur? Eià (Patres virtuosissimi) Sapientia duce, Iustitia comite ad amplectenda Decreta emanan[illegible] vos accingite. Iustitiam vultis; ad Euāgelica cōsilia accedite. Ad Patrē illū familię properate,qui plā-
Mat. 21 tauit vineā,& turrim in medio ædificauit. Turrim in medio, Marsicanę huius vineę ædificate. Sed ędificatā est iam altissima Turris Ascanij propè vos est ad illā confugite, & Iustitia munimini. Sapientiam quæritis; domicilium in terris non habet; illam patientissimus hic non inuenit; vndè clamauerit: *Sapientia vbi in-*
Iob. 28. *uenitur, & vbi est locus intelligentiæ fidelis?* In Cęlis. Ad cęlestes ergò Ascanij Zonas currite, & influentiam inuenietis Sapientiæ. Perpetuitatem animi, & nominis amatis non corporis? Tres aureos Ascanij globulos in figuram perfectissimæ Triadis,æterniq;nostri Dei contemplate, & surgent tamquam ex Diuinitatis fodina faustissima vobis tempora, & in æternitatem fœlicissimo gressu ferōtur. Gratias deniq;agite Deo,gratias reddite ipsi,qui nunc vestrā Ecclesiā,& Domini vineā restaurat. Fiat. Fiat. Sed Illustriss. Pręsul.

Quid tibi multiplici reddent pro munere munus?
Nil eorum paupertas, quod dare possit habet,
An versus, violasuè dabit, pietasuè Tabellas?
Omnia sunt meritis ista minora tuis.
Dat multum, multumquè facit, quicumquè fatetur.
Esse nihil quod dat, quod facit esse nihil.
O noua grati animi compendia, si illis dicas
Verecundum debitum soluite per nihilum.
Aequidem verò
Non tot marmoreo numerantur in æquore arena,
Non tot, & astra micant celso rutilantia Cælo
Quot grates tibi reddunt, quot munera Laudis.

Dixi.